

Stanisław Frankl

Decretum Tridentinum de communione sub utraque specie

Collectanea Theologica 18/1-2, 218-278

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DECRETUM TRIDENTINUM DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

De anno 1546 ita Raynaldus scribit: „Dum stringuntur arma a Caesare adversus Langravium et Saxonem perduellos, certatum est verbo Divino in concilio Tridentino adversus Lutheranorum errores, qui accuratissimo examine tum in Theologorum tum in Praesulum Congregationibus discussi sunt“¹⁾. Obiectum huius secundae pugnae, ubi „certatum est verbo divino“, fuerunt religionis christianae dogmata ab adversariis acerrime oppugnata. Inter alia hic pertinet quaestio de communione sub utraque specie, quae fuit obiectum non tantum catholicorum cum heterodoxis certaminis, sed etiam longissimae per tres concilii Tridentini partes durantis theologorum atque patrum disputationis. Atvero quamvis haec quaestio tempore concilii Tridentini minime novum problema fuerit, sed — ut iam Clichtoveus commemorat²⁾ — imprimis durante synodo Constantiense et Basileense a Joanne Turrecremata, Aenea Sylvio, Nicolao Cusano et aliis inquisita sit, tamen erroribus veteribus reviviscentibus atque novis exortis difficultatibus, praeprimis adversus doctrinam catholicam compositis, theologi catholici s. XVI in hac quaestione inquirenda operam navarunt atque permultas ediderunt dissertationes, in quibus problema communionis sub utraque specie aut explicite exposuerunt aut indirecte exararunt atque aliquam materiam pro futuro concilio praeparaverunt³⁾, ubi

¹⁾ *Annales ecclesiastici* ad. ann. 1546 n. 116.

²⁾ *Propugnaculum Ecclesiae adversus Lutheranos, tres libros completens, quorum primus formulam celebrandae missae a Luthero nuper adinventam improbat...* Parisiis 1526, fol. 163 r — 167 r. cf. A. Castro, *Adversus omnes haereses libri XIII*, Coloniae 1539, fol. 185 r — 190.

³⁾ Hic pertinent praesertim: Alfeld, *De communione sub utraque specie quantum ad laicos, an ex sacris litteris elici possit Christum hanc vel*

quaestio non sub respectu pure disciplinari — ut aliqui autumare videntur⁴⁾ — sed doctrinali inquisita et decisa est. Immo quaestio disciplinaria absque decisione concilii partim transmissa est ad R. Pontificem Pium IV, qui in aliquibus casibus calicis usum concessit, quod tamen postea a Pio V revocatum est⁵⁾.

Cum tamen haec doctrina concilii Tridentini de communione sub utraque specie usque adhuc nondum sufficienter scrutata sit, volumus in praesenti eam exponere, et quidem iuxta ultimam concilii actorum editionem⁶⁾ atque trium huius concilii partium comparatione considerata. Maioris tamen rei claritatis gratia quaedam historica introductoria praenotentur.

PRAENOTANDA HISTORICA.

Prima vice — saltem in luce actorum — mota est quaestio de communione sub utraque specie in concilio Tridentino die

praecepisse vel praecipere debuisse... Lipsiae 1520; Cricius (Krzycki), *De ratione et sacrificio missae*, Cracoviae 1528; Cochlaeus, *XXV Ursachen unter einer Gestalt das Sakrament den Leyen zu reichen*, Leipzig 1526; Idem, *Fasciculus calumniarum... Septiceps Lutherus de utraque specie sacramenti*, Lipsiae 1529; Idem, *Tabula contradictionum Lutheri XXXVI super uno articulo de communione*, Lipsiae 1535; Eck J., *Enchiridion locorum communium adversus Lutherum et alios hostes Ecclesiae*, Landshuti 1525; Idem, *De sacrificio missae*, Ingolstadii 1526; Fisher J., *Assertionis Lutheranae confutatio*, Coloniae 1523; Idem, *De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia adversus J. Acolampadium*, Coloniae 1527; Vehe, *Von dem Gesetz der nyeszung des Heiligen Sacraments in eyner Gestalt*, Leipzig 1531; Idem, *Errettung der beschuldigten kelcheyb vom neuen Bugenhagischen galgen*, Lipsia 1533; Puerstinger, *Keliggpuchel, ob der Kelig ausserhalb der mess ze reichen sey*, Monachii 1535; Monsenus, *Finitiva scriptis e canonicis decisio ab Apostolorum venire consuetudinem populo sub panis tantum specimine sacram synaxim esse tribuendam*, Coloniae 1545. Cf. Polman P., *L'Élément historique dans la Controverse religieuse du XVI siècle*, Gembloux 1932, p. 435 ss.; Constant G., *Concession à l'Allemagne de la communion sous les deux espèces*, Paris 1932.

⁴⁾ „L'attitude du concile de Trente et du Pape Pie IV montre que la communion sous les deux espèces est envisagée par les catholiques comme une question purement disciplinaire“ Polman op. c. 438.

⁵⁾ Polman op. c. 473.

⁶⁾ *Concilium Tridentinum, Diariorum, actorum, epistolarum, tractatum nova collectio*, ed. Societas Goerresiana, Friburgi 1901 ss. (abbr. CTr) cf. Frankl, *Doctrina Hosii de sacrificio missae cum decreto Tridentino comparata*: *Collectanea Theologica* VI (1935), 281.

3 Februarii anno 1547, cum „articuli haereticorum super sacramento Eucharistiae... examinandi theologis minoribus“ propositi sunt⁷⁾.

Etenim summa doctrinae heterodoxorum de sacramento Eucharistiae exposita est in forma decem articulorum, quorum VII et VIII communionem sub utraque specie considerant⁸⁾. Examinatio horum articulorum et quidem primo in congregatione theologorum minorum eodem die incipit et usque ad diem 19 eiusdem mensis protracta est. Hac praevia examinatione absoluta, plus quam toto mense elapso (die 6 Martii) „proponuntur patribus articuli praefati una cum iudicio ipsorum theologorum, ut super eis etiam patres sententiam dicerent“⁹⁾. Perspicuitatis tamem gratia dividuntur articuli in tres classes: primo enumerantur „qui videntur simpliciter damnandi“, deinde sequuntur „qui ab aliquibus theologis damnandi quidem censentur, sed cum aliqua declaratione“, denique exponuntur „articuli, qui ab ipsis theologis iudicantur damnandi ultra eos, qui iam propositi fuerunt“¹⁰⁾. Materia, quae ad motam pertinet quaestionem, continetur in articulo VII classis I-mae et im articulo VIII classis 2-dae¹¹⁾.

Die 8 Martii „fit congregatio generalis, in qua dicuntur sententiae patrum super decem articulis de sacramento eucharistiae secundum iudicium theologorum... decretumque, quod respondeatur procuratori Salzburgensis et Brixinensis capitulorum“¹²⁾. Salvator Alexius Salep u s i u s, archiepiscopus Turri-

7) CTr V, 869 s. Unde minus accurate dicit J. Bochenek articulos de sacramento eucharistiae prima vice in concilium die 7 Martii an. 1547 venisse. *Stanisława Hozjusza nauka o eucharystji*, Warszawa 1936, 137. — Immo iuxta diarium Massarelli die 1 Februarii „omnibus patribus datur... copia decem articulorum de sacramento eucharistiae“ CTr I, 608.

8) „VII De iure divino esse sub utraque specie etiam populum communicare, ac propterea peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti; et tamen praecipiente concilio, ut plebs sub utraque specie communicet, eo casu sub altera tantum communicandum esse. VIII Non contineri sub altera specie, quantum sub utraque continetur, nec tantum sumere communicantem sub altera specie, quantum sub utraque“ CTr V, 870.

9) CTr V, 1007.

10) CTr V, 1007 s.

11) Identificatur praeter unam stilisticam mutationem cum articulis in sup. adnot. (8) expositis.

12) CTr I, 623.

tanus, quem Ludovicus Chieregatus ep. Antibarensis et Robertus Vauchop archiep. Armacanus secuti sunt, proponit „prius confici canones et super eis vota exquiri“¹³⁾. Hac tamen propositione non obstante articulorum examinatio usque ad diem sequentem extensa est, cum cardinalis de Monte primus concilii praesidens patribus nuntiavit plures ex episcopis diebus proxime praeteritis ob „morbum ponticularum vel leuticularum“ Tridento recessisse. Cum igitur multi patres concilium ob periculum morbi relinquere voluerint, cardinalis praesidens decidit „convenire gravitati rei de qua agitur, ut patres melius cogitent et non fiat hodierna die aliqua conclusio et omnes redeant die crastina dicturi magis consulte et magis explicite iterum sententias suas“¹⁴⁾. Quapropter postridie fit „congregatio generalis super translatione concilii ex Tridento ad civitatem Bononiae“¹⁵⁾ et — licet quatuordecim patres quibus cardin. Petrus Pachecus archiepiscop. Giennensis praefuit gravissimis rationibus expositis, obstiterint, quominus concilium ex civitate Tridentina recedat — tamen cardin. de Monte, lectione bullae Pauli III per procuratorem, secretarium praefectum concilii, archiep. Angelum Massarellum peracta, declaravit se „huius bullae virtute et vigore ac speciali dispositione (munitum)... translationem ipsam concilii ad civitatem Bononiae esse legitime factam et hic deinceps nullum esse concilium“¹⁶⁾.

Atvero — quamvis patres concilii iuxta hanc declarationem „die 21 Aprilis (anno 1547) ad sessionem celebrandam in civitate Bononiae comparare debeant“¹⁷⁾ — tamen ob varias magnasque difficultates quaestio mota rediit in concilium definienda Kalendis Septembris anno 1551, quando „legatus et praesidentes iuxta morem hactenus in concilio observatum exhibuerunt articulos desumptos ex libris modernorum haeticorum super

¹³⁾ CTr V, 1010.

¹⁴⁾ CTr V, 1017.

¹⁵⁾ CTr V, 1018.

¹⁶⁾ CTr V, 1035 s. — In bulla *Regimini universalis ecclesiae*, ascripta die 22 Februarii an. 1545, qua legati pontificii in concilio muniti sunt, datur facultas transferendi concilium Tridentinum in aliam civitatem et illud tam dissolvendi, quam proseguendi, prout eisdem legatis videbitur. Cf. CTr IV, p. 395 s., n. 289.

¹⁷⁾ CTr V, 1036. Cf. Richard P., *Concile de Trente* (Hefele-Leclercq, Histoire des conciles, T. IX), Paris 1930, 397 s.

ipso sacramento (eucharistiae) examinandos et discutiendos a theologis minoribus, ut antequam patribus concilii proponerentur, ipsorum S. Theologiae magistrorum et doctorum sententiae super eis haberentur. Qui articuli exhibiti sunt ipsis theologis die Mercurii 2 dicti mensis Septembris¹⁸⁾. Inter hos decem articulos duo tantum nostram quaestionem considerant, videl. articulus VIII et IX. Una cum materia statuitur praefixus modus, iuxta quem theologis in labore praeparatorio procedendum sit, atque concilii fine considerato inquisitionis methodus praesertim positiva eligitur.

A die 9 usque ad 16 Septembris perdurat theologorum congregatio, qua absoluta „datum fuit omnibus patribus exemplum ipsorum articulorum cum adnotationibus et iudicio... theologorum“¹⁹⁾. Die 21 Septembris congregatio generalis super examinationem articulorum incipit, qua inquisitione die 30 eiusdem mensis absoluta, tertius concilii praesidens Aloysius Lippomani archiep. Veronensis proposuit patribus eligere aliquam commissionem, quae canones super articulos heterodoxorum conficere. Cardin. Christophoro Madrutio, episcopo Tridentino suadente, omnibusque patribus consentientibus electio vel magis nominatio commissionis ad concilii legatum praesidentesque remissa est. „Tunc ipse legatus (cardinal. Marcellus Crescentius) nominavit... (octo patres), quae nominatio ab omnibus una voce laudata et approbata fuit et ordinatum fuit, ut ipsimet deputati conveniant coram legato et canones iuxta sententiam patrum conficiant et deinde una in generali congregatione referant“²⁰⁾. Die 2 Octobris diligenti examinatione et gravi discus-

¹⁸⁾ Theiner A., *Acta Concilii Tridentini...* Zagrabiae 1875 (abbr. Theiner), I, 488. Attamen in sessionibus Bononiensibus materia mota minime in oblivionem venit cf. CTr XI, 141. 152. 165. 175. 198.

¹⁹⁾ Theiner I, 501. — Hoc exemplum quoad articulos circa quaestionem de communione sub utraque specie non differt ab exemplo prima vice in theologorum congregatione proposito praeter articulorum numerationem (pro art. VII et VIII datur art. VIII et IX) et adiunctionem in novo art. VIII materiae de communione parvulorum.

²⁰⁾ Theiner I, 520. — Ad hanc commissionem pertinebant: Sebastianus Heussenstamm, archiep. Moguntinus, Paulus Gregorantius, ep. Zagrabensis, Salvator Alepo (Alaputius), archiep. Turritanus, Cornelius Mussi O. M. Conv., ep. Bituntinus, Franciscus de Navarra, ep. Pacensis (Badajoz), Diego d'Alava, ep. Asturicensis, Aegidius Foschararius, ep. Mutinensis et Martinus Perez de Ayala, ep. Guadiscensis.

br.

ia-

sione peracta statuuntur tredecim canones, quorum quatuor tantum ad motam pertinent materiam, atque postridie exempla canonum patribus distribuuntur.

Attamen crescentibus ex parte heterodoxorum variis difficultatibus ipse legatus in congregatione die 6 Octobris celebrata patribus proposuit, ut ex materia de sacramento eucharistiae tractanda canones de communione sub utraque specie pro tempore excluderentur. Quo facto atque propositis canonibus examinatis et transformatis, decretum de SS. Eucharistia in solenni sessione XIII die 11 Octobris anno 1551 celebrata editum est, cum materia de modo huius sacramenti administrandi in posterum tempus dilata sit. Insequente autem anno die 28 Maii iterum concilium ob varias externas difficultates auctoritative suspensum est, id quod sane dolendum.

Variis denique difficultatibus superatis ac faventibus conditionibus per litteras Pii IV *Ad Ecclesiae regimen* die 29 Novembris anno 1560 datas convocati sunt patres et theologi, ut laborem concilii iterum continuarent²¹⁾. Cum tamen propter longum intervallum materia de communione sub utraque specie in oblivionem adducta sit, mandatum est theologis, ut heterodoxorum doctrinam in forma articulorum exponant atque hoc modo quaestiones tractandas praeparent. At vero in congregatione generali die 6 Junii anno 1562 celebrata, ubi articuli de modo administrationis sacramenti Eucharistiae pro doctrina in futura sessione definienda proponuntur, magna patrum concertatio oritur, utrum materia exposita discutienda sit necne; quaedam enim ex hac materia iam sunt decisa tum in sessione antecedenti, tum denique in concilio Constantiensi. Insuper patres se laesos arbitrati sunt, quod absque suo consilio materia laboris proposita sit²²⁾. Hac tamen difficultate superata, maiore parte suffragantium consentiente decisum est quaestionem de usu sacramenti eucharistiae continuandam esse. Quapropter die 10 Junii anno 1562 examinatio articulorum de mota quaestione in commissionibus theologorum incipit atque extenditur usque ad diem 23 Junii, in quo datur „summa sententiarum theologorum super articulis de usu sacramenti eucharistiae“²³⁾. Postridie, „cum iam

²¹⁾ CTr VIII, n. 60, p. 104—107.

²²⁾ CTr VIII, 529 ss.

²³⁾ CTr VIII, 614.

satis articuli... ipsi discussi fuerint tempusque sessionis instet et multa peragenda supersint, cogitatum est... commodius esse, ut quatuor canones super primo, quarto et quinto ex dictis articulis proponantur, quarum materia et forma simul examinari poterit; reliqui vero id est secundus et tertius proponentur uti theologis propositi sunt, cum super eis decretum formari non possit, antequam patrum sententiae audiantur²⁴⁾. Postridie quatuor canones de communione sub utraque specie una cum duobus articulis circa concessionem huiusmodi communionis patribus examinandi proponuntur. Haec autem examinatio die 27 Junii incipit. Hac inquisitione durante die 4 Julii propositum est patribus circa eandem materiam exemplum doctrinae, quae canones in decreto antecederet. Tota haec discussio et disceptatio intervallo quodam interiecto protracta est usque ad diem 16 Julii, quando in solemnibus sessionibus doctrina de communione sub utraque specie publicata est.

INVESTIGATIO THEOLOGORUM IN PRIMA CONCILII PERIODO.

Historica expositione absoluta evolutio ipsius doctrinae de communione sub utraque specie iuxta ordinem ipsius concilii Tridentini consideranda remanet. Attamen, cum concilii Tridentini fuerit veritatem ab errore secludere atque veram certamque doctrinam fidelibus credendam proponere, nonnulli theologo carpserunt atque delibaverunt ex operibus pseudoreformatorum flosculos, scilicet decem articulos, in quibus eorundem theologorum iudicio tota doctrina heterodoxorum circa sacramentum eucharistiae contenta fuit²⁵⁾. Jamvero in hisce decem articulis

²⁴⁾ CTr VIII, 617 s.

²⁵⁾ Quamvis acta concilii Tridentini — saltem edita — sileant quis hos decem articulos praeparaverit, tamen considerata alia articulo- rum serie, videlicet circa sacramenta in genere, cuius auctores — Hieronymo Seripando duce — duo theologo hispani ex ordine Societatis Jesu, scilicet Salmeron Alphonsus et Laynez Jacobus fuerunt, concludendum est eosdem theologos etiam seriei articulo- rum de nostra quaestione auctores fuisse. Hoc sequitur etiam ex epistola Claudii Iaii S. J., procuratoris card. Truchsess, die 30 Januarii 1547 S. Ignatio Loyolae scripta, in qua maximam laboris partem circa errores ex heterodoxorum libris excerptis theologis

duo tantum — ut iam supra commemoratum est — motam materiam considerant, videlicet art. VII, iuxta quem etiam laicis communio sub utraque specie ex iure divino administranda est, et huius articuli suppositum, nimirum art. VIII, qui dicit sub altera specie non contineri tantum, quantum continetur sub una specie, quapropter non sumi tantum sub una specie, quantum sub utraque. Circa haec duo problemata totus concilii Tridentini labor de mota quaestione volvitur.

Cum tamen laborem ipsius concilii, videlicet patrum, disquisitio praeparativa theologorum praecesserit atque totus labor in tres concilii partes extensus sit, maioris claritatis rei gratia necnon, ut modus procedendi in concilio fideliter reddatur, theologorum praeparativa doctrina exposita patrum demum sententiae considerandae sunt et quidem iuxta ordinem in concilio servatum.

Etenim ad art. VII examinationem quod attinet multi theologi hunc articulum haeticum esse iudicarunt, quia auctoritativis ecclesiae decretis contradicit²⁶⁾. Tamen non defuerunt, qui

Salmeroni et Laynesio tribuit, de quibus etiam refert, quod „per comandamento de Mgr. de Santa Croce hanno cavato de varii libri li errori de heretici a circa tutte le materie della fede, et vedo che secondo che li hanno cavati, sono da li R-mi legati proposti nelle Congregationi“. CTr V, 835 adn. 3.

²⁶⁾ Vincentius de Casale O. Pr. Portugallensis, Joannes de Concilii O. M. Obs. Gallus, Stephanus de Consortes O. S. A. Italus, Gentianus Hervetus Gallus, Vincentius de Leone (Leoninus) O. Carm. Siculus, Hieronymus Lombardellus O. M. Obs. Italus, Laurentius Mazochius O. M. Obs. Hispanus, Bartholomaeus Miranda de Carranza O. Pr. Hispanus et Hieronymus ab Oleastro O. Pr. Portugallensis provocabant ad concilium Constantiense et Basileense. In conc. Const. dicitur: „Licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie: tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri“: Mansi, Sacrorum Conciliorum... Collectio, XXVII 727 C.; Decisio Conc. Basil. sonat: „Fideles laici sive clerici communicantes et non conficientes non astringuntur ex praecepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet et vini, sacrum eucharistiae sacramentum“: Mansi XXIX 158. Ad hanc decisionem ita Eugenius IV in sua bulla *Exultate Deo* de die 22 Novembris 1439: „Nam ipsorum verborum (scil. consecrationis) virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem conver-

ad hanc sententiam probandam ad revelationem provocabant. Jamvero ex ipsa Scriptura elucet in primitiva ecclesia non ignotam fuisse praxim, iuxta quam fidelibus non celebrantibus sacra communio sub una tantum specie administrata esset. Administratio communionis ab ipso Salvatore in castello Emmaus peracta (Lc. 24, 30), mentio S. Pauli (I Cor. 11, 23 s.) eiusque interpretis S. Lucae (Act 2, 42. 46; 20, 7. 11) de fractione panis fuit generale argumentum ex Scriptura pro communione sub una tantum specie. Insuper varii theologi ad varios textus provocabant, praesertim autem ad S. Joannis cap. 6, ubi quinquies decies de manducatione et quater tantum de potatione sermo est (Salmeron).

Cum tamen ex Scriptura adversarii quoque sua argumenta hauriant, elucet hunc revelationis fontem difficultatibus non carere. Primarium vero argumentum scripturisticum, quo calicis fautores suam doctrinam demonstrare conati sunt, derivari videtur ex verbis Christi in evangelio S. Joannis contentis, ubi Dominus dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* (6, 54). Cum enim Christus — en tenor argumentationis eorum — in oratione a S. Joanne relata de futura communione reapse loquatur atque expresse necessitatem man-

tuntur, ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini: Mansi XXXI 1054 B. — Insuper alii theologi ex aliis etiam decisionibus ecclesiae argumenta sumpserunt: Ricardus Cenomanus O. M. Obs. Gallus provocabat ad synod. Agathensem (an. 506, cap. 19 *Saeculares* dis. 2 De cons.) et Arelatensem I (an. 314, cap. I *De pascha Domini*), Alphonsus Salmeron, praeter nonnullas commemoratas, provocat ad synodum Toletanum IX (an. 655, cap. 20 *Hi qui intrant* dist. 2 De cons. assumptum ex Toletano I cap. 13) et Sardicensem (an. 343), de cuius connexionione cum concilio Nicaeno acerrima viguit in s. XVI controversia (CTr IV, 373 adn. 4) atque ad doctrinam Innocentii III in opere *De sacrificio Missae* contentam. Hieronymus Lombardellus adducit insuper decreta synod. Remensis (an. 813, cap. 45 *Ut calix* dist. I De cons.) et Wormatiensis (an. 868, cap. 10 (26) *Si episcopo*), Jacobus Laynez commemorat decreta synodi CaesarAugustanae (an. 380, can. 3) Quinisextae (an. 692, can. 101) et institutionem, quam Pseudo-Isidorus Pio I attribuit (Mansi I, 680 cum nota G), ubi sermo de speciebus panis tantum occurrit. Denique Georgius a S. Jacobo adducit etiam supra commemoratum Decretum pro Armenis. — Patres et theologi Tridentini probabiliter adhibuerunt documentorum ecclesiasticorum editionem, cui titulus: *Concilia omnia tam generalia, quam particularia ab Apostolorum temporibus in hunc usque diem a SS. Patribus celebrata*, Coloniae 1538.

ducationis sui corporis simulatque potationis sanguinis inculcet, communionem sub utraque specie pro omnibus fidelibus ex iure divino necessariam esse sequitur. Quapropter tum theologi, qui in laborem praeparativum, tum patres, qui in ipsos heterodoxorum articulos condemnandos atque in decretum concilii redigendum operam contulerunt, magno apparatu positivo adducto, per multum et longum disputabant, quonam sensu Christi verba intelligenda essent.

Bartholomaeus Miranda O. Pr. theologus a Carolo V in concilium missus, occasione septimi ex propositis heterodoxorum articulis examinandi dixit praefatam locutionem Christi de manducatione spirituali intelligendam esse. Hanc tamen sententiam non probat, nisi opinione „aliquorum“, qui probabiliter ad auctores contemporaneos pertinent²⁷⁾. Brevi tempore elapso, cum sensus verborum Christi controversiae obiectum fuerit, aliqui theologi dum conantur demonstrare totam adversariorum argumentationem fundamento carere Mirandae sententiam secuti sunt. Hic pertinent Petrus Paulus Caporella de Potentia O. M. Conv., Aurelius Philippus O. S. A., Hieronymus Lombardellus O. M. Obs., Andreas de Navarra, Ludovicus Carvaialus O. M. Obs., Georgius Alvarez a Vosmediano, Georgius a S. Jacobo O. Pr., Hieronymus Guilhelmi O. P. Alii autem theologi communionem a Christo l. c. commendatam sensu sacramentali interpretandam esse putarunt. Hanc explicationem secuti sunt Vincentius Leoninus O. Carm., Vincentius de Casale O. P., Jacobus Laynez S. J. Non defuerunt denique theologi, qui eligerunt „viam mediam“, in qua utraque sententia composita esset, videlicet interpretatio sensu spirituali simulatque sacramentali. Asseclae huius sententiae fuerunt Sebastianus de Castello O. M. Conv., Franciscus Herrera, Joannes Consilii O. M. Obs., Andreas Vega O. M. Obs., Denique iuxta Gasparum a Regibus O. P. „caput 6. Joannis intelligitur in ecclesia esse necessariam non singulis sub utraque specie communionem“²⁸⁾.

Quamvis praefati theologi sententias suas communiter absque speciali probatione adduxerint, non defuerunt tamen, qui

²⁷⁾ CTr V, 874.

²⁸⁾ CTr V, 929.

doctrinam expositam probare conati sunt. Imprimis uberius et fusius de mota quaestione disputarunt Leoninus, Lombardellus et Consilii, qui etiam ad SS. PP. interpretationem provocarunt. Potissimum methodo heterodoxorum considerata auctoritas S. Augustini singularis inquisitionis obiectum fuit. Attamen utrum episcopus Hipponensis textum S. Joannis in sensu spirituali an sacramentali interpretatus sit, hucusque incertum est²⁹⁾.

Quae cum ita sint sequitur sensum verborum Christi, licet discussio circa ea omnino evoluta fuerit, in hac prima concilii parte nondum declaratum esse. Nihilominus tamen dicendum est etiam eos theologos, qui textum S. Joannis in sensu communionis sacramentalis interpretandum esse docuerunt, fautorum calicis argumentationis adversarios fuisse. Quamvis enim textus Joanneus — en tenor conclusionis theologorum catholicorum — etiam de sacramentali communionem intelligi possit, nulla exinde necessitas communionis sub utraque specie oritur, quia qui speciem panis dumtaxat manducat accipit et sanguinem, qui per naturalem concomitantiam cum vivo Christi corpore coniungitur. Insuper praxis communicandi sub specie tantum panis iam in primis ecclesiae saeculis, immo tempore Christi et Apostolorum nota est. Unde elucet praefatum textum S. Joannis, etiam in sensu sacramentali intellectum, nullum de communionem sub utraque specie praeceptum imponere³⁰⁾.

Praeter textum consideratum non desunt alia Scripturae verba, quibus calixtini suam doctrinam probare conati sunt. Hic pertinent locutio Christi: *Bibite ex hoc omnes* (Mt. 26, 27) et expressio Pauli: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini* (I Cor. 11, 26—29).

²⁹⁾ „Dans ces conditions, il est bien difficile de déterminer quelle fut la véritable position d'Augustin devant le sixième chapitre de saint Jean“ Comeau, *Saint Augustin Exégète du quatrième évangile*, Paris 1930, 173. Insuper J. Tixeront, *Histoire des dogmes*, Paris 1931, II, 412.

³⁰⁾ Frankl, *Interpretatio Jo 6, 54 in primo temporis spatii concilii Tridentini*: *Collectanea Theologica XVII* (1936), 425—431.

Ad locutionis Christi sensum quod attinet inter alios praesertim Joannes Consilii in longa sua oratione, quam die 18 Februarii anno 1547 in congregatione theologorum habuit, exposuit difficultatis solutionem, „a plerisque“ admissam. Videlicet secundum hanc solutionem verba Christi ad apostolos tantum et non ad omnes christifideles referenda sunt. Veritas huius propositionis primo ex ipso textu scripturistico sequi videtur. Etenim ipse Christus verbum *bibite* ad eos direxisse videtur, ad quos directe de universalitate salutis dicit. Jamvero praecepto potationis sanguinis suae dato, addit de eodem calice: *Qui pro vobis et pro multis effundetur* (Mt. 26, 28; Mc. 14, 24; Lc. 22, 20). Unde sequitur eandem esse personarum classem, ad quam tum *bibite* tum *pro vobis* referuntur, alioquin enim Christus inepte locutus sit. Ex hac distinctione a solo Christo peracta inter *pro vobis* et *pro multis* elucet ipsum Salvatorem in numero eorum, pro quibus sanguinem suum effusus est, inter absentes et praesentes distinxisse et ad hos ultimos τὸ *bibite* retulisse. Insuper Erasmo teste vocabulum πολλοὶ vulgus, plebem, populum significat. Haec filologica interpretatio firmatur etiam in simili textu s. Marci, qui addit *Biberunt ex eo omnes* (14, 23), ubi vocabulum *omnes* respondet simili vocabulo Christi. Etenim dicto Salvatore *Bibite ex hoc omnes* factum a Marco narratum *Biberunt ex eo omnes* secutum est. Denique ad eosdem ad quos dictum est *Bibite ex eo omnes* referendum est praeceptum *Hoc facite in meam commemorationem* (Lc. 22, 19). Attamen hoc praeceptum refertur ad solos apostolos eorumque in sacerdotio successores. Quapropter etiam et primum dictum ad solos apostolos et sacerdotes est limitandum³¹⁾.

Eundem fere argumentationis modum ex supra commemoratis secuti sunt: Bartholomaeus Miranda, Ricardus Cernomanus, Vincentius Leoninus, Hieronymus Lombardellus et Vincentius de Casale. Insuper eandem solutionem admitterunt Petrus Sarras Hispanus, theologus saecularis et eiusdem nationis theologus Franciscus Salazar O. M. Obs.

Unde apparet exposita verba Christi satis clare in hac prima concilii Tridentini parte explicata esse.

Minime tamen idem dicendum est de praefata locutione Paulina, ex qua heterodoxi suam sententiam demonstrare conati

³¹⁾ CTr V, 951.

sunt. Etenim nonnulli tantum theologi de his verbis locuti sunt³²). Insuper nemo eorum difficultatem solvere conatus est, sed summum declarabat Pauli verba verbis Christi non contradicere³³).

Praeter argumenta scripturistica adducuntur rationes ex traditione inde ab apostolorum temporibus sumptae³⁴). In considerationem veniunt SS. PP. testimonia vel facta, quibus adiuvantibus elucet in primis ecclesiae temporibus praeceptum administrationis communionis sub utraque specie minime viguisse. In sua longa oratione die 11 Februarii in theologorum congregatione habita Hieronymus Lombardellus dicit Ambrosium, Hieronymum, Eusebium et Benedictum morituros sub specie panis dumtaxat communionem accepisse³⁵). Oratione ab eodem theologo peracta cardinalis Marcellus Cervinus, secundus concilii praesidens declaravit in primitiva ecclesia Irenaeo testante morem communicandi sub utraque specie non fuisse³⁶). Vincentius Leoninus adduxit testimonium Origenis³⁷), Cyrilli Alexandr.³⁸), Joannis Chrysostomi³⁹), Hilarii Pictav.⁴⁰), Augustini⁴¹) de cuius doctrina magna fuit inter theologos Tridentinos contro-

³²) Alphonsus Salmeron S. J., Laurentius Mazochius, Joannes Consilii, Gaspar a Regibus O. P.

³³) Laurentius Mazochius CTr V, 906.

³⁴) Theologi Tridentini in hac prima disputationis parte praeter alia SS. PP. opuscula probabiliter usi sunt commemoratis super operibus Joannis Fisher, ad cuius collectiones formaliter provocant Alphonsus Salmeron (CTr V, 879) et Joannes Consilii (CTr V, 952).

³⁵) In vita S. Ambrosii Paulinus eius notarius narrat, Honoratum sacerdotem ad lectum morituri sancti doctoris vocatum huic corpus Domini tantum obtulisse, quo — inquit — accepto, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens (ML 14, 46). De S. Hieronymi morte habetur quidem narratio illa apocrypha Eusebii ad Damasum (ML 22, 269 s.), quae tamen a peritis reiicitur. Tamen S. Benedictus Gregorio M. testante viaticum sub specie corporis et sanguinis accepit (ML 56, 202). Non desunt denique in antiqua ecclesia exempla communionis moribundorum sub una tantum et sub utraque specie. Cf. E. Dublanchy, *Communion: Dictionnaire de Théol. Cath.* III, 557 s.; Spačil, *Doctrina Theol. Orientis Sep. de SS. Eucharistia*, Romae 1929, n. 339 ss.

³⁶) CTr V, 921. Sermo est de testimonio Irenaei in Eusebii EH V 24 (MG 20, 506 s.) contento.

³⁷) CTr V, 890. In Numeros Hom. VII: MG 12, 615.

³⁸) CTr V, 890. In Joan. Evang. I. IV: MG 73, 576 s.

³⁹) CTr V, 890. In Joan. Hom. XLV n. 1: MG 59, 251 s.

⁴⁰) CTr V, 890. De Trinitate I. VIII: ML 10, 246.

⁴¹) CTr V, 890.

versia⁴²⁾ et Theophylacti⁴³⁾. Insuper adducuntur testimonia Ambrosii⁴⁴⁾, Hieronymi⁴⁵⁾, Pseudo-Dionysii⁴⁶⁾, quem scriptores s. XVI communiter non obstante opinione a Laurentio Valla († 1457) mota discipulum S. Pauli vel saltem apostolorum temporibus proximum existimarunt⁴⁷⁾, et Gregorii M.⁴⁸⁾. Notandum est textum epistolae S. Gelasii Papae ad Mauritium (Maioricum) et Joannem episcopos scriptae, in Decreto Gratiani servatum⁴⁹⁾, de cuius sensu acerrima tum catholicorum cum heterodoxis tum etiam inter ipsos catholicos theologos s. XVI durante contro-

⁴²⁾ Frankl, *Interpretatio Jo 6*, 54, p. 430.

⁴³⁾ CTr V, 890.

⁴⁴⁾ Hieronymus ab Oleastro O. P. (CTr V, 873) dicit generatim: „Ambrosius de sacramentis“. Eundem tamen Ambrosium adducit Joannes Consilii, cum dicit „communicare populum sub utraque specie non esse prohibitum“ CTr V, 955. Verba Ambrosii continentur in Cassiodori Hist. Tripart. IX, 30, ubi dicitur: „Quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis preciosi suscipies?“ ML 69, 1145.

⁴⁵⁾ Gregorius a s. Jacobo CTr V, 960. — Attamen eundem Hieronymum adducit Joannes Consilii, dum dicit communionem sub utraque specie in primitiva ecclesia crebriorem, frequentiore et usitatioris fuisse. CTr V, 955. Adhibetur textus in 2 cap. Malach. contentus: Sacerdotes qui eucharistiam conficiunt et sanguinem Domini populo distribuunt.. ML 25, 1554. Idem in Sophoniam cap. 3: Sacerdotes quoque, qui Eucharistiae serviunt et sanguinem Domini populis eius dividunt ML 25, 1440.

⁴⁶⁾ Vincentius Lombardellus adducit locum in opere De eccl. hierar. III, 3: MG 3. 427, 454 s. contentum, ubi auctor „refert, quod Christus sub specie panis Judae porrexit Eucharistiam et nihil de specie vini meminuit“ CTr V, 918. Sed textu et contextu considerato minime sequitur adesse ibi distinctionem inter species panis et vini, nec umquam a theologis iste locus ita ut fecit Lombardellus intellectus est, cum auctor potius pro communione sub utraque specie allegandus sit. Cf. S. Thomas, S. Th. III, q. 81, a. 2.

⁴⁷⁾ Frankl, *Doctrina Hosii de sacrificio missae cum decreto Tridentino comparata*: Collectanea Theologica XVI (1935), 302.

⁴⁸⁾ Hieronymus ab Oleastro CTr V, 873.

⁴⁹⁾ C. 12, d. II. De consecratione: Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

versia fuit⁵⁰), vix semel tantum in theologorum congregatione adduci et quidem a Joanne Consilii ad demonstrandam propositionem „Apparet communionem huiusmodi (sub utraque specie) fuisse crebriorem, frequentiore et usitatior in primitiva ecclesia...⁵¹).

Quamvis primum momentum in disputationibus concilii Tridentini revelatio positiva constituerit⁵²), tamen — cum idem sit fons revelationis et rationis videlicet Deus — theologo, ut doctrina ab eis proposita intrinsecam etiam vim habeat, ad rationes theologicas provocabant.

In praefata iam supra oratione Vincentii Leonini datur argumentum, quod durante concilio communiter valet. Etenim communio sub utraque specie esset de iure divino, si Christus et apostoli hunc administrandi modum observassent. Atqui factis historicis consideratis elucet tum Christum huius sacramenti institutorem tum etiam eius apostolos non semper fideles sub utraque specie communicasse. Unde de iure divino sermo esse nequit⁵³). Insuper si communio sub utraque specie obligaret ex iure divino, hoc esset propter hanc tantum rationem „quia homo non posset consequi vitam aeternam, nisi communicaret sub utraque specie, sicut non potest introire regnum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. Sed Christus Jo 6, 51 s. dixit: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, ubi nulla fit mentio de sanguine sub specie vini; ergo communio sub utraque specie non est de iure divino“⁵⁴). Denique primus in congregatione theologorum disputantium scilicet Stephanus Consortes, quem multi sequuntur, argumentum suum ex modo praesentiae Christi sacramentali ducit. Cum enim Christus sub qualibet specie sacramen-

⁵⁰) Polman op. c. 41, 241, 439, 520, 524.

⁵¹) CTr V, 956.

⁵²) „Modus praefixus theologis in sententiis dicendis“ postulat ut „sententiae per theologos dicendae deducantur ex sacra scriptura, traditionibus apostolicis, sacris et approbatis conciliis ac constitutionibus et auctoritatibus summorum pontificum et sanctorum patrum, ac consensu catholicae ecclesiae. Utantur brevitate et abstineant a superfluis et inutilibus quaestionibus, ac etiam protervis contempionibus“ CTr I 489. Cf. ibid. 531, 533.

⁵³) CTr V, 888.

⁵⁴) Idem ib.

tali totus contineatur, sub qualibet etiam specie sacramentali totus sumitur⁵⁵). Hoc tamen argumentum iam connectitur cum alio in articulo sequenti exponendo.

Attamen natura institutionis considerata oritur difficultas, quam calicis fautores ad suam doctrinam firmandam adhibuerunt. Etenim cum Christus utramque speciem seu partem instituerit etiam omnibus in ecclesia communionem sub utraque specie administrari voluit. Ad hanc objectionem refutandam ita Leoninus: „Verum est Christum instituisse non utramque speciem seu partem, sed sacramentum corporis et sanguinis sui sub utraque specie et licet hoc sacramentum instituerit Christus pro tota ecclesia, non tamen instituit illud pro omnibus membris totius ecclesiae sub utraque specie“⁵⁶). Similiter alii.

Simul cum articulo VII articulus VIII sciscitatur, qui tamen non tam generalem theologorum attentionem, sicut articulus praecedens movit. Pari modo ac in articulo praecedenti provocabant theologi ad varia decreta ecclesiastica potissimum in conciliis vel enuntiationibus pontificiis data, ubi doctrinam in articulo VIII contentam damnatam esse asserebant⁵⁷).

Similiter etiam ac in praecedenti articulo non defuerunt theologi, qui hanc assertionem in fontibus revelationis contineri probare conati sunt.

Fundamentalis textus scripturisticus, ex quo theologi suam hauserunt doctrinam, fuit ille S. Pauli, ubi apostolus dicit: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non*

⁵⁵) CTr. V, 873. — Hanc rationem evolvit Vincentius Leoninus (CTr V, 888) quem communiter theologi secuti sunt.

⁵⁶) CTr V, 888.

⁵⁷) Ricardus Cenomanus et Nicolaus Trecensis O. Carm. provocant ad conc. Lateranense IV et Constantiense CTr V, 877. In concil. Lateran. IV legimus: In ecclesia „idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina“ Denzinger, *Enchiridion* n. 430. Concil. Constant. cf. supra p. 225, adn. 26. — Hieronymus ab Oleastro, Bartholomaeus Miranda, Alphonsus Salmeron et Joannes Consilii provocabant ad conc. Florentinum, videlicet adductum iam supra (p. 225, adn. 26) decretum pro Armenis. Denique idem Bartholomaeus Miranda et Vincentius Leoninus hauriunt probationem ex textu Decreti Gratiani „Ubi pars est corporis, est et totum“ (De consecratione, d. 2, c. 78), cuius auctorem Papam Hilarium († 468) esse existimarunt.

dominabitur (Rom. 6, 9). Quapropter — argumentatur Vincentius Leoninus⁵⁸). — „Si... Christus vivus, integer et impassibilis continetur in hoc sacramento, sicut vivus, integer et impassibilis resurrexit et assumptus est in coelum, sequitur, quod ubi sit sanguis eius, ibi per concomitantiam sit et corpus, et ubi sit corpus, ibi quoque per concomitantiam sit et sanguis. Et per consequens tantum continetur sub altera specie, quantum continetur sub utraque, et tantum communicans sumit sub altera specie, quantum sub utraque, quod est oppositum huius articuli 8“. Similiter etiam Hieronymus Lombardellus, qui dicit in suppositione absentiae sanguinis sub specie panis corpus Christi esse inanimatum, „cum anima non vegetet corpus exsangue“, quod tamen esset contra verba Paulina. „Quod si cum corpore est anima, erit et sanguis, erit et Verbum illud aeternum, quandoquidem quod Deus semel assumpsit, numquam dimisit et ita totus Christus. Itidem dicendum est de specie vini consecrati“. Unde deducitur aliqua consequentia videlicet: „qui Eucharistiam sub altera tantum specie sumit, tantumdem profecto, etiam quod ad gratiam, quae ratione operis operati datur, perinde, ac si sub utraque sumeret omnino recipit“⁵⁹). Ad eundem textum Paulinum provocat etiam Joannes Consilii⁶⁰).

Praeter adductum textum Paulinum adhibetur etiam alius, quo unicus theologus, videlicet Georgius a Vosmediano utitur, scilicet locutio Christi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*⁶¹). Atqui — en tenor argumentationis theologi hispani — corpus, quod traditum est erat vivum cum sanguine et anima. Ergo sub specie panis integrum Christi corpus sumitur⁶²).

Cum tamen revelatio praeter Scripturam etiam Traditionem comprehendat, nonnulli theologi ad SS. PP. auctoritatem provocarunt. Duo tantum textus patristici adducuntur et quidem contenti in Decreto Gratiani, ad quod theologi formaliter provocarunt. Etenim Ricardus Cenomanus dicit de commemorato supra textu „Ubi pars“⁶³), quem Joanni Chrysostomo attri-

⁵⁸) CTr V, 891.

⁵⁹) CTr V, 920.

⁶⁰) CTr V, 958.

⁶¹) Lc. 22, 19. Adhibetur translatio ex textu graeco διδόμενον, quia in textu Vulgatae habetur „datur“.

⁶²) CTr V, 932.

⁶³) Cf. p. 233, adn. 57.

buit⁶⁴). Vincentius Leoninus adducit textum Hieronymi, qui affirmat communicantes „in singulis portionibus“ totum corpus Christi accipere⁶⁵).

Textibus ex revelatione sumptis atque in luce ecclesiae declarationum consideratis apparet praefatum VIII articulum heterodoxorum cum fide catholica componi non posse. Cum tamen iste articulus ex duabus constet partibus, quarum altera de re sub speciebus sacramentalibus contenta, altera autem de eo, quod in communione sumitur, dicit, nonnulli theologi in disputationibus suis ulterius sciscitabantur, utrum inter id, quod continetur et id, quod sumitur interna esset connexio et quaenam esset huiusmodi connexionis ambitus.

Iam in commemorata sermone die 5 Februarii habita Alphonsus Salmeron dicit, damnata articuli parte prima, secundam eiusdem articuli partem aliqua declaratione indigere, „cum aliqui dicant, quod sumentes sub utraque specie plus sumunt⁶⁶). Ad hos „aliqui“ probabiliter pertinet Bartholomaeus Miranda, qui simili modo heterodoxorum articulum quoad primam partem damnavit. „Sed quoad secundam — dicit theologus hispanus — ambigua est sine „tantum“, sed cum „tantum“ damnanda, quatenus intelligat non etiam in specie panis totum corpus e(s)t ita fructuosum sumentibus, ac si et sanguinem distinctum sumerent“⁶⁷). Alii autem theologi, qui in orationibus suis Salmeronem praecesserunt, videlicet Stephanus Consortes, Hieronymus ab Oleastro et Ricardus Cenomanus — saltem iuxta edita concilii acta — nihil de praefata distinctione locuti sunt, quod etiam multi alii theologi fecerunt⁶⁸). Hac tamen circumstantia non obstante expressio „aliqui“ potest interpretari sensu lato, praecipue numero singulari et tum actorum veritas subtilitasque salvatur, aut potest etiam admitti, quod minus probabile esse vide-

⁶⁴) CTr V, 877.

⁶⁵) „Singuli autem accipiunt Dominum Christum et in singulis portionibus totum est nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis“. De consecr. d. II, c. 77. Idem Alphonsus Salmeron CTr V, 880.

⁶⁶) CTr V, 880.

⁶⁷) CTr V, 874.

⁶⁸) Petrus Paulus de Potentia, Joannes Baptista Moncalvius, Franciscus Visdomini, Franciscus Salazar, Laurentius Mazochius, Aurelius de Rocca Contrata, Sebastianus de Castello, Nicolaus Trecensis, Gentianus Hervetus, Andreas de Navarra, Vincentius de Casale, Gas-

tur, secretarium actorum non accurate omnia referenda retulisse.

Hanc distinctionem inter unam alteramque partem commemorati articuli supponit Aurelius de Rocca Contrata, qui damnationem partis secundae postulat eiusque veritatem probat, et quidem ex praesentia totius Christi sub qualibet specie sacramentali atque ex sacramenti eucharistiae interna unitate⁶⁹⁾. Eandem materiam exposuit Vincentius Leoninus et — licet ipse aliam adhibuerit methodum — ad eandem pervenit affirmationem. Carmelita Siculus — cum dicat se sequi theologorum sententiam communem — distinguit inter rationem significati et rationem contenti. Ratione significati — en tenor eius argumentationis — corpus per speciem panis significatur et sanguis per speciem vini significatur, ratione autem contenti — cum totus Christus sub una specie, sub qualibet eius parte et sub utraque, consecratione peracta, praesens sistatur — tantum continetur sub una, quantum sub utraque specie atque tantum sumitur sub una quantum sub utraque specie⁷⁰⁾. Idem argumentum et fere eodem modo proponit Hieronymus Lombardellus⁷¹⁾ et Gasparus a Regibus⁷²⁾. Denique Joannes Consilii dicit subtiliter disputatum esse, an duae species conferant gratiam ex opere operato maiorem, quam una. Ipse autem affirmat eandem gratiam sumi per communionem sub altera specie, quae datur in communionem sub utraque specie, quia in qualibet specie est Christus totus et vivus. Ad quaestionem autem cur hoc sacramentum sub duabus speciebus sit institutum, respondit finem huius institutionis minime esse maiorem gratiam conferendam, sed passionem Redemptoris et sanguinis eius effusionem expressius significandam⁷³⁾. In hac sua oratione theologus Parisiensis probabiliter alludit ad Andream de Navarra, qui in congregatione die 14 Februarii habita idem de aequalitate gratiae affirmavit⁷⁴⁾.

Attamen non defuerunt theologo, qui ad partem articuli secundam quod attinet oppositam secuti sunt sententiam. Hic perparus a Regibus, Ludovicus Carvaial, Franciscus Herera, Gregorius a s. Jacobo.

⁶⁹⁾ CTr V, 906.

⁷⁰⁾ CTr V, 891.

⁷¹⁾ CTr V, 920.

⁷²⁾ CTr V, 929.

⁷³⁾ CTr V, 958.

⁷⁴⁾ CTr V, 926.

tinet Jacobus Laynez, qui dicit hanc partem non esse damnandam, quippe quae non definitionibus ecclesiae sed doctorum sentiis contradicat⁷⁵⁾.

Theologorum minorum inquisitione absoluta proponuntur tamquam eiusdem inquisitionis fructus articuli de sacramento eucharistiae cum theologorum censuris. Articulus VII adnumeratus est in classi eorum, „qui videntur simpliciter damnandi“; de articulo VIII ita dicitur: „Posterior pars istius articuli aliquibus non videtur damnanda sine hac declaratione ut exprimatur, quatenus sumens intelligat, non esse sub qualibet specie integrum Christi corpus. Alias enim nonnulli tenent, plus gratiae sumi sub utraque quam sub una“⁷⁶⁾.

Hoc modo theologorum labore absoluto materia venit ad congregationem generalem, ubi patres non tam rem ipsam, quam magis eiusdem opportunitatem considerabant atque inquirebant utrum gradus censurae, qua singulos heterodoxorum articulos theologi muniverunt, iustus esset, an ipse laboris ordo aliqua mutatione non indigeret.

Etenim disputantium secundus — ut iam supra dictum est — videlicet Salvator Alexius Alaputius archiep. Turritanus postulavit, ut prius conficerentur canones et deinde super eis vota exquirerentur⁷⁷⁾. Eandem sententiam secuti sunt Ludovicus Chieregatus archiep. Antibarensis, Robertus Vauchop archiep. Armacanus et quoad secundam articulorum classem Thomas Casellus ep. Britonoriensis. Nonnulli remiserunt se theologorum iudicio⁷⁸⁾. Communiter tamen dixerunt omnes heterodoxorum articulos simpliciter damnandos esse. Nonnulli tamen aliquam declarationem admittendam esse affirmarunt. Etenim praefatus Robertus Vauchop dixit tantum sumi sub una, quantum sub utraque quoad sacramentum; „quo autem ad gratiam consequendam, non est hoc sub anathemate damnandum, licet ipse credat et teneat, quod tantum gratiae sub una, quantum sub utraque

⁷⁵⁾ CTr V, 935.

⁷⁶⁾ CTr V, 1008.

⁷⁷⁾ CTr V, 1010.

⁷⁸⁾ Andreas Cornelius archiep. Spalatrensis, Quintius de Rusticis Romanus ep. Miletensis, Cathalanus Trivultius ep. Placentinus, Hieronymus Fuscherus ep. Torcellanus, Marcus Antonius Crucius ep. Tiburtinus, Georgius Cornelius ep. Tarvisinus, Alexander de Ursis ep. Emoniensis, et Joannes Campegius ep. Parentinus.

sumatur“⁷⁹⁾. Etiam Joannes de Salazar ep. Lancianensis affirmat secundam huius articuli partem posse declarari, „quia virtute operis operati articulus falsus est, ratione tamen sumentis posset esse verus“⁸⁰⁾. Denique Balthasar Lymпус ep. Portuensis aliquam declarationem pro hac materia postulavit, „quia Christus sumitur spiritualiter per fidem et id cum manducatur digne. Et alio modo cum manducatur in voto“⁸¹⁾. Alii tamen, ut Marcus Vigerius de Ruvere ep. Senogalliensis, poposcerunt, ut damnaretur simpliciter distinctio „de gratia maiore sub utraque quam sub una“⁸²⁾. Ad hanc sententiam confirmandam Aloysius Lippomanus ep. Veronensis ad auctoritatem Thomae Aquinatis, Thomae de Vio, Joannis Fisher aliorumque doctorum catholicorum provocat⁸³⁾.

Insuper ad articulum VII quod attinet Olaus Magnus archiep. Upsalensis dixit materiam valde considerandam esse atque id est agendum, quod temporum qualitati expedit⁸⁴⁾. Contra autem Balthasar Lymпус O. Carm. ep. Portuensis manifesto declaravit communionem sub utraque „ullo casu laicis, etiam piis et ob devotionem illam requirentibus“ dandam esse⁸⁵⁾.

Attamen ob difficultatem, de qua iam relatam est, inquisitio patrum interrupta et tota materia ad circumstantias meliores translata est.

INVESTIGATIO THEOLOGORUM ET PATRUM IN SECUNDA CONCILII PERIODO.

Quamvis duratio interruptionis concilii deliberationum super materiam motam usque ad Kalendas Septembres sese extendere, tamen ex comparatione articulorum primo theologis et postea patribus examinatu propositorum cum his, quorum exemplum die 3 Febr. an. 1547 theologis minoribus datum est elucet idem exemplar aut in concilii archivo conservatum aut in theologorum scriptis contentum esse, quia nonnulli articuli fere iidem quoad

⁷⁹⁾ CTr V, 1011.

⁸⁰⁾ CTr V, 1013. Contextu considerato elucet hunc episcopum distinxisse inter opus operatum et opus operantis.

⁸¹⁾ CTr V, 1012.

⁸²⁾ CTr V, 1011.

⁸³⁾ CTr V, 1012.

⁸⁴⁾ CTr V, 1010.

⁸⁵⁾ CTr V, 1011.

verbum etiam cum adnotationibus permanserunt. Attamen non desunt quaedam mutationes atque additiones. Etenim in hoc secundo exemplo aliquod relative novum est articulus IV, qui affirmat „Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum“⁸⁶⁾. Quapropter ab articulo V incipiendo numerus singulorum articulorum ita mutatus est, ut quaestio de communione sub utraque specie non contineatur in articulo VII et VIII sicuti in exemplo partis concilii primae, sed in articulo VIII et IX. Ne tamen articulorum numerus augeatur articulus decimus exempli primi, qui sonat: „Non licere, ut quis seipsum communicet“ articulo sexto exempli secundae concilii partis adiunctus est. Insuper in hoc VIII articulo prima vice venit sermo de communione parvulorum⁸⁷⁾. Deinde non desunt alia additamenta novo exemplo declarationis causa annexa⁸⁸⁾. Denique dicendum est auctores huius novae articulorum redactionis magna cum probabilitate fuisse eosdem theologos, qui primae eorundem articulorum redactioni elaborandae operam sumpserunt⁸⁹⁾.

At vero licet in prima concilii parte multum theologi de mota quaestione disputarint, licet etiam multi eorum, qui anno 1547 in concilio partem habuerunt, secundae huius concilii partis congregationibus interfuerint, nihilominus tamen tota materia de mota quaestione iterum inquisitioni subiecta est, acsi nihil hac de re hucusque peractum esset, quamquam tempore sessionum concilii Bononiae peractarum communis patrum opinio fuit, decretum de sacramento eucharistiae iam sufficienter et pleno cum iudicio in sessionibus Tridentinis tum a theologis tum a pa-

⁸⁶⁾ Theiner I, 488. Haec propositio non est nisi ille nonus articulus, ex numero eorum, „qui (die 6 Martii 1547) ab ipsis theologis iudicantur damnandi ultra eos, qui ipsis iam propositi fuerunt“ CTR V, 1008.

⁸⁷⁾ F. Cavallera, *La communion des parvuli au Concile de Trente*: Bulletin de Littérature ecclésiastique V (1935), 97—132.

⁸⁸⁾ Duo articuli primi exempli cf. supra p. 220 adn. 8. Iidem articuli in exemplo partis secundae sonant: „VIII De iure divino esse sub utraque specie etiam populum et parvulos communicare et propterea peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti. IX Non contineri sub altera specie, quantum continetur sub utraque, neque tantum sumere communicantem sub altera specie, quantum sub utraque“: Theiner I, 488. Insuper in additamento exempli ulterioris finis addit. art. VIII fusius exprimitur; ex additamento art. IX textus operis Joannis Aepini omittitur. ib.

⁸⁹⁾ Alphonsus Salmeron et Jacobus Laynez. Cf. supra p. 224, adn. 25.

tribus examinatum atque ad definitivam promulgationem prae-
paratum esse (CTr XI, 198). Immo iterum datur theologis
praefixus modus in sententiis dicendis; quoad fontes praefatae
sententiae: „deducantur ex sacra scriptura, traditionibus aposto-
licis, sacris et approbatis conciliis ac constitutionibus et aucto-
ritatibus Summorum Pontificum et Sanctorum Patrum ac con-
sensu catholicae Ecclesiae“, quoad modum „ut utantur brevitate
et abstineant a superfluis et inutilibus quaestionibus ac etiam
protervis contemplationibus“⁹⁰⁾. Insuper ordo praecedentiae in
sententiis dicendis statuitur: primum locum obtinent theologi pon-
tificii, quos sequuntur theologi ab imperatore missi, deinde clerici
saeculares, ultimi denique sunt regulares⁹¹⁾.

Praerequisitis praeparationibus statutis, incipit articulorum
examinatio, in qua sine dubio primum locum, non tantum prop-
ter dignitatem, quae ex titulo „Theologus Pontificius“ oritur, sed
etiam ob propositionum modum atque materiam et laborem du-
rante toto concilio susceptum, obtinent theologi hispanici, scilicet
Alphonsus Salmeron et Jacobus Laynez. Cum tamen Lay-
nez potissimum realem praesentiam Christi sub speciebus sacra-
mentalibus demonstrare conatus sit, Salmeron praesertim arti-
culum VIII inquisivit. Praeter hos duos alii quoque theologi hoc
opere praeparativo intersunt atque materiae elaborandae aliquod
novum addunt. Claritatis tamen gratia non iuxta theologos, sed —
sicuti in primae concilii partis expositione — secundum mate-
riam singulae quaestiones declarandae sunt. Ne tamen materia
iteretur, argumenta quae in disquisitione primae concilii partis
iam exposita sunt et quibus theologi vel patres in hoc secundo
concilii temporis spatio usi sunt breviter tantum commemorantur.

Similiter ac in prima concilii periodo singuli propositi arti-
culi praesertim separatim considerantur atque variae rationes
tum ex decisionibus ecclesiasticis tum ex fontibus revelationis
tum denique ex praxi ecclesiae et theologorum auctoritate desu-
muntur.

Jamvero ad VIII articulum quod attinet praeter notam iam
ex supra dictis provocationem ad concilium Constantiense, cuius
auctoritatem ad suam doctrinam demonstrandam adhibuerunt
Alphonsus Salmeron, Melchior Cano O. P. et Melchior

⁹⁰⁾ Theiner I, 489.

⁹¹⁾ Ibid.

a Vos mediano proponuntur in oratione, quam praefatus theologus pontificus die 8 Septembris anno 1551 in theologorum congregatione habuit, etiam aliae decisiones, quibus demonstratur dictum articulum esse „contra ecclesiam, quae contrarium tenet et quae errare non potest“⁹²).

Hae tamen ecclesiasticae declarationes in doctrina revelata fundantur. Praeter argumenta scripturistica, iam supra in disquisitione articuli VII exposita⁹³), confirmatur magis argumentum ex communione, quam Christus in castello Emmaus discipulis administravit. Etenim Salmeron — ut res magis valeat — dicit Augustinum et alios Patres docuisse Christum Apostolis in dicto castello SS. Eucharistiam sub specie tantum panis administrasse⁹⁴). Insuper idem theologus ope V. T. doctrinam suam demonstrare conatus est, cum dicat sacramentum eucharistiae iam in V. T. non carere figuris, quibus proportionatum sit necesse est. Salmeron dicit huiusmodi figuras fuisse mannam et agnum paschalem. Atqui in manducatione tum agni paschalis tum mannae sermo de potu deest. Quapropter etiam in communione — ut praefatae figurae adimpleantur — pro sermone de potu locus non datur.

Neque etiam negleguntur difficultates, quae ex eadem Scriptura oriuntur. Praeter solutionem huic supra expositae similem, quia eadem difficultates exsurgunt, Salmeron obiectionem, quae ex epistola prima ad Corinthios (11, 26—29) nascitur, aliquo speciali modo solvere conatus est. Etenim — en tenor argumenta-

⁹²) Theiner I, 491. Adducitur „Can. LII Apost., ubi ordinatur sacerdotes graecos debere certis diebus abstinere a sacrificando et iis diebus utebantur pane consecrato id est communicabant; de vino autem nihil habetur“. Insuper „Concilium Illiberitanum (initium saeculi IV; de accurata temporis designatione disputatur) can. LVII et in primitiva ecclesia dicebatur“ de communione laicali, „quam omnes doctores interpretantur sub una tantum specie“. Praeterea „in multis antiquis canonibus fit mentio de asservatione panis; de vino nullum verbum, quia non erat consuetudo in ecclesia communicandi sub utraque“. At vero hisce decisionibus consideratis apparet allatas praeter canones Illiberitanos non habere valorem, nisi alicuius traditionis, citatum autem canonem concilii Illiberitani nihil de mota materia continere, alios autem eiusdem concilii canones dicere de communione tantum, quin aliquid de communione sub utraque vel sub una tantum specie distinguatur.

⁹³) P. 266 ss. Haec argumenta omnino communia in sessionibus concilii evadunt.

⁹⁴) Theiner I, 491.

tionis theologi pontificii — praeceptum pro communitate Corinthiaca latum non fuit lex stabilis nec eo minus lex generalis, praesertim cum in communitate Hierosolymitana comunem sub specie panis tantum administratam esse ex aliis Scripturae fontibus elucet⁹⁵). Ad difficultatem autem ex evangelio S. Joannis (6, 54) petitam quod attinet sicuti in prima concilii parte etiam nunc non una fuit theologorum sententia. Nonnulli dixerunt praefatum textum interpretandum esse in sensu communionis sacramentalis, exclusa tamen lege generali, alii interpretationem spiritualem praetulerunt, alii denique elegerunt viam mediam, in qua sensus sacramentalis cum spirituali coniungeretur⁹⁶).

Argumenta scripturistica confirmantur in luce traditionis ecclesiasticae, ex qua nonnulla nova testimonia adducit praesertim Salmeron, libro, quem „Roffensis (Joannes Fisher)... edidit contra Oecolampadium“ et ubi „adduxit plurimas SS. PP. auctoritates“, utens⁹⁷). Ad nonnulla argumenta iam in prima concilii periodo exposita⁹⁸) adducuntur quaedam nova, videlicet Clementis Papae II epistola ad Jacobum⁹⁹), ubi Pontifex dicit non

⁹⁵) Theiner I, 491.

⁹⁶) Asseclae sensus sacramentalis sunt: Jacobus Laynez, Franciscus de Torro et Joannes de Ortiga theologus Hispanus ab imperatore in concilium missus. Textum Joanneum in sensu spirituali interpretantur etiam duo theologi scilicet Ambrosius Pelargus et Joannes Delphius. Alii autem viam coniunctionis scilicet interpretationem in sensu sacramentali cum spirituali coniuncto sequuntur. Hic pertinent: Joannes Arze, Petrus Frago, Reginaldus de Genua O. P., Alphonsus de Contreras O. M., Obs. Antonius de Uglia, Sigismundus Fedrius de Diruta O. M. Con., Marianus Feltrinus O. S. A., Adeodatus Senensis O. S. A., Franciscus de Vilarva O. S. Hier.

⁹⁷) *De veritate corporis et sanguinis Christi in eucharistia adversus Oecolampadium*, Coloniae 1527.

⁹⁸) Cf. supra p. 230 ss.

⁹⁹) „Certe tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastino non reserventur, sed cum timore et tremore clericorum diligentia consumantur. Qui autem residua corporis Domini quae in sacrario relictas sunt, consumunt non statim ad communes accipiendos cibos convenient“. Haec epistola non est, nisi una ex quinque illis epistolis per Pseudo-Isidorum sub Clementis I nomine editis et tempore concilii Tridentini praeprimis ex Decreto Gratiani, De consecratione, d. 2, c. 23 desumptis. Insuper adductio huius textus est aliquod novum sensu relativo tantum, quia eadem citatio invenitur in voto, quod Joannes Consilii die 18 Februarii an. 1547 de eucharistia proposuit, licet ad aliam omnino veritatem demonstrandam hanc locutionem adhibuerit CTr V, 943.

esse admittendam negligentiam in relinquendis fragmentis eucharistiae, cum de sanguine sileat, Pii I institutio de pane benedicendo, ubi de vino nullus occurrit sermo¹⁰⁰⁾, testimonium Tertulliani¹⁰¹⁾ et Cypriani¹⁰²⁾, ubi de pane tantum vel de corpore Christi dicitur.

Insuper communionem sub utraque specie non esse iuris divini ipsa ecclesiae praxis affirmat. Nimirum „ipsa ecclesia a multis annis unam tantum speciem populo dedit, licet aliquando et duas concesserit“. Insuper si in re tam gravi, quae est communionis administratio per unius speciei sacramentalis fidelibus negationem mutationes introductae essent, certissime aliquis tumultus ortus esset. Attamen historia ecclesiae considerata nullius huiusmodi tumultus vestigium datur. Quae cum ita sint elucet administrationem communionis sub una tantum specie minime legi divinae contradicere atque heterodoxorum articulum VIII damnandum esse¹⁰³⁾. Utrum tamen hic articulus esset haereticus formaliter Melchiorre Cano testante aliqui dubitarunt, „quia Martinus V in bulla concilii Constantiensis dixit hunc articulum sapere haeresim non autem esse haereticum“¹⁰⁴⁾.

Hoc tamen non obstante pontificii theologi sententiam alii theologi communiter secuti sunt, dum affirmant legem commu-

¹⁰⁰⁾ Hoc argumentum adductum est iam in prima concilii periodo in voto Jacobi Laynez (cf. supra p. 226, adn. 26), ubi tamen non tam in sensu traditionis quam magis declarationis ecclesiae consideratum est.

¹⁰¹⁾ „Non sciet maritus, quid secreto ante eum cibus gustes; et si sciverit panem, non illud credit esse qui dicitur“ Lib. 2. Ad Uxorem: ML I, 1296. De hoc tamen textu, quamvis de sola specie panis sit sermo argumentum deducere nequit, quia idem Tertullianus etiam manifeste de communione sub utraque specie loquitur. Cf. Liber 2 de corona militis c. 3 s.: ML 2, 98 s., De resurrectione carnis c. 8: ML 2, 806.

¹⁰²⁾ Sermo est de quadam muliere, quae „arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne audiret attingere“. Insuper commemorat Cyprianus aliquem alium, qui „ipse maculatus sacrificio a sacerdote celebrato partem cum caeteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere et contrectare non potuit“ De lapsis c. 26: ML 4, 486. Attamen idem Cyprianus, qui testis communionis sub una tantum specie adducitur in eiusdem operis capite praecedenti manifeste de communione sub utraque loquitur, quod in aliis etiam operibus dicit ML 4, 380.

¹⁰³⁾ Theiner I, 491.

¹⁰⁴⁾ Theiner I, 493.

nionis sub utraque specie latam fuisse pro sacerdotibus tantum, numquam autem pro aliis fidelibus¹⁰⁵).

In disquisitione articuli sequentis rationes in praecedentibus congregationibus consideratae etiam nunc plenum obtinent valorem. Dogma annuntians, Christum semel mortuum et redivivum iam numquam moriturum esse, sicut antea et nunc fundamentum sistitur pro affirmatione sub qualibet specie sacramentali et sub qualibet eiusdem speciei parte totum Christum cum carne et sanguine, cum corpore et anima, cum divinitate et humanitate praesentem esse. Quapropter, cum nulla fuerit hac de re theologorum discrepatio, omnes unanimiter affirmabant primam articuli IX partem damnandam esse. De secunda autem eiusdem articuli parte acris inter theologos disputatio orta est. Communiter controversitur, utrum sumens augustissimum eucharistiae sacramentum sub utraque specie plus accipiat, quam ille, cui sub una tantum specie hoc sacramentum administratum est. Ad hanc quaestionem explicandam Melchior Canus proposuit distinctionem inter expressiones „quoad sacramentum“ et „quoad gratiam“ et dixit sub primo respectu — cum sacramentum eucharistiae sit unum — idem suscipi sub altera, quod sub utraque specie proindeque in hoc sensu articulus falsus est; sub respectu secundo scilicet „quoad gratiam“ articulus minime falsus declaratur, cum certum sit „maiolem fructum accipere sacerdotem communicantem sub utraque, quam sub una et plus contineri gratiae sub utraque, quam sub una, quia plenior significatio sacramenti“¹⁰⁶). Eandem distinctionem secuti sunt alii theologi, qui loco expressionis „quoad sacramentum“ etiam aliam videlicet „de substantia sacramenti“ elegerunt¹⁰⁷). Attamen non defuerunt theologi, qui praefatum articulum totum haereticum esse declararunt, inquantum

¹⁰⁵) Joannes Arze, Joannes Ortiga O. F. M., Martinus Malo, Franciscus de Torro, Ambrosius Pelargus O. P., Franciscus de Heredia, Petrus Frago, Joannes Delphius, Desiderius de Verona O. P., Alphonsus de Contreras O. F. M., Antonius de Ugliola, Sigismundus Fredrius de Diruta O. M. C., Marianus Feltrinus O. S. A., Desideratus Panormitanus O. P., Franciscus de Villarva O. S. Hier., Joannes Zabalos.

¹⁰⁶) Theiner I, 493. — Doctrinam hunc articulum in sensu „quoad sacramentum“ esse haereticum alii theologi secuti sunt scil. Franciscus de Torro, Petrus Frago.

¹⁰⁷) Joannes de Ortiga O. F. M.: Theiner I, 494.

nullam esse differentiam inter gratiam, quae accipiatur sub una specie et eam, quae sub utraque specie communicetur, affirmarunt¹⁰⁸). Denique Antonius de Uglia O. M. Obs. asseveravit sub utraque specie plus gratiae accipi quam sub una, quod tamen non ad omnes sed ad solos sacerdotes referatur, quippe qui „maioris sint dignitatis et conficiant et ex praecepto sub utraque accipere teneantur; ideo plus adimplent et plus merentur, quam laici, qui et ad unam tantum tenentur et unam accipiunt“¹⁰⁹). Haec sententia est negatio doctrinae alius theologi Hispanici, scilicet Martini Alavei, cuius verba sonant: „Neque plus sumit sacerdos celebrans sub utraque, quam laicus sub una, cum semper idem sit Christus et idem sacramentum“¹¹⁰).

Hoc modo examinatione theologorum absoluta, tota materia sciscitanda iterum venit ad patres, qui generatim non tam quaestionis rationem internam, quam magis rei practicam applicationem inquirebant.

In articulo VIII examinando fundamentalis quaestio venit, utrum de iure divino communio sub utraque administranda esset. Quamvis enim hac in materia theologi quasi unanimiter negativam sententiam eligendam esse iudicarint, verum tamen — cum aliquae rationes, ex fontibus revelationis deductae pro sententia affirmativa stare viderentur atque postulationes ex parte fautorum calicis non spernendas esse censerentur ex alia autem parte tempus auctoritativae decisionis urgeret — non defuerunt, qui totam hanc materiam ad aliam sessionem differendam esse putarunt¹¹¹). Alii dixerunt communionem laicalem neque sub una neque sub utraque specie iure divino praescriptam esse¹¹²). Georgius Flach ep. Salonensis autumavit communionem sub utraque neque esse contra legem divinam, neque lege divina probari¹¹³). Alii distinxerunt inter legem ecclesiasticam et divinam et dixerunt hanc commu-

¹⁰⁸) Alphonsus Salmeron S. J., Joannes Arze, Martinus Malo, Martinus Olaveus, Melchior Vosmediano, Ambrosius Pelargus, Petrus Frago.

¹⁰⁹) Theiner I, 499.

¹¹⁰) Theiner I, 496.

¹¹¹) Nicolaus Psalmæus O. Praem. ep. Viridunensis.

¹¹²) Valentinus Franc. de Navarra archiep. Pacensis.

¹¹³) Theiner I, 509.

nionem revera esse contra legem ecclesiae¹¹⁴⁾, minime tamen contra legem divinam, nisi contra legem divinam secundum quid scil. huiusmodi, quae pro aliqua dumtaxat circumstantia divinitus lata ab ecclesiae declaratione dependeat¹¹⁵⁾. Maior tamen patrum pars simpliciter diiudicavit communionem sub utraque specie pro laicis non esse de iure divino¹¹⁶⁾. Hanc sententiam nonnulli interpretabantur hoc sensu acsi communio laicalis sub utraque esset omnino contra legem divinam, alii autem ex contrario putabant ius divinum nihil hac de re dixisse.

Ad suam doctrinam probandam patres generatim provocarunt ad argumenta iam in congregationibus theologorum exposita. Non desunt tamen aliquae rationes in concilio hucusque nondum consideratae, quae in patrum sessionibus afferuntur. Etenim Cornelius Mussi ep. Bitontinus censet laicalem communionem sub una tantum specie administrandam ex dogmate de praesentia Christi reali sub qualibet sacramentali specie colligi. Unde hic modus sumendi ss. eucharistiam per se sufficeret etiam pro sacerdotibus litantibus. Attamen, cum sacerdotes, „qui tenentur offerre, consecrare et sumere et veram memoriam mortis Christi facere, sub una non adimplerent, ad quod tenentur, propterea sub duabus sumunt et id solum dum celebrant, quia tunc memoriam passionis Christi faciunt, quam laici eo modo facere non tenentur, cum solum sacerdotibus sit dictum *Hoc facite in meam commemorationem*“¹¹⁷⁾. Alius autem scil. Joannes Ricci archiep. Sipontinus distinxit inter institutionem et praeceptum. „Institutio — ait — ... non omnes obligat, prout nec ordo et matrimonium, praeceptum autem obligat. At hoc (*Bibite ex hoc omnes*) non praeceptum sed institutio est. Alias enim dum dicitur *facite*,

¹¹⁴⁾ Octavianus Praeconius O. M. Conv. ep. Monopolitanus et Didacus de Alabay Esquivel ep. Asturicensis.

¹¹⁵⁾ Aloysius Lippomanus ep. Veronensis.

¹¹⁶⁾ Sebastianus Heussenstamm archiep. Moguntinus, Petrus Guerrero archiep. Granatensis, Balthasar de Herredia archiep. Calaritanus, Val. Franc. de Navarra archiep. Pacensis, Thomas Campesius Bononiensis ep. Feltrensis, Joannes Fonseca ep. Castellimaris, Joannes de Salazar ep. Lancianensis, Hieronymus Bocatellus ep. Syracusanus, Balthasar Waneman ep. Missinensis (Misiensis), Joannes Jubijs ep. Constantinensis, Franciscus Manrique de Lara ep. Auriensis, Petrus Wagner ep. Algarensis.

¹¹⁷⁾ Theiner I, 516 s.

bibite, si obligaret omnes, omnes essent sacerdotes, alias enim non possent conficere et confectio pari modo cum bibitione praeciperetur. Igitur verba illa dicta sunt solis sacerdotibus et discipulis illis, quos eo actu Christus sacerdotes instituit¹¹⁸⁾.

Simul cum articulo VIII sequens articulus in patrum sessionibus examinatus est, cui tamen examinationi multae obstiterunt difficultates. Antequam ille articulus patribus examinandus proponitur, ipsi theologi — ut ex supra dictis elucet — non unam habuerunt hac de materia sententiam. Etenim, licet prima huius articuli pars ab omnibus damnanda iudicaretur, pars secunda „non censetur haeretica, intelligendo eam de gratia, cuius plus aiunt percipi a communicante sub utraque specie, quam sub una. Quamplures contra censuerunt. Aliqui cupiebant ita formari articulum, ut in eo non fieret mentio de gratia, sed tantum de sacramento, ut scholasticae disputationes fugiantur“¹¹⁹⁾. Insuper die 21 Septembris an. 1551 in congregatione generali ipse legatus pontificius Marcellus Crescentius durante oratione super articulos examinandos dixit sibi videri articulum IX vel saltem partem eius secundam ad patrum disputationem non pertinere, quippe quae esset obiectum controversiae theologorum „et concilium satis est, ut haereses damnet, in quo plurimum elaborandum restat: non autem omnes scholasticas disputationes decidat, et ne etiam laici excitentur contra clericos, quasi ipsi defraudentur gratia Christi, cum una tantum species eis tribuatur“¹²⁰⁾. Quae cum ita sint clarum est, cur etiam alii patres hunc totum articulum omittendum esse putarent¹²¹⁾.

Hisce tamen circumstantiis non obstantibus maior patrum pars theologorum rationibus consideratis, hoc, quod continetur sub una vel sub duabus speciebus sub duplici respectu inquisivit, videlicet tum „quoad substantiam sacramenti“ tum „quoad gra-

¹¹⁸⁾ Theiner I, 517.

¹¹⁹⁾ Theiner I, 502.

¹²⁰⁾ Ibid. Item Salvator Alaputius archiep. Turritanus dixit materiam controversam esse praetermittendam „praesertim cum concilium non sit congregatum ad damnandas et derimendas scholasticas disputationes, sed tantum haereses“ Theiner I, 503. Idem Petrus Guerrero archiep. Granatensis: Theiner I, 504.

¹²¹⁾ Archiepiscopi Sebastianus de Haussenstamm, Salvator Alaputius, Petrus Guerrero, et Balthasar de Herredia.

tiam“. Jamvero — dicit Aloysius Lippomanus ep. Veronensis, quem alii patres secuti sunt — propositio „sub utraque specie plus sumi, quam sub una“ ab omnibus damnata fuit in sensu *quoad sacramentum*. Cum enim species sacramentales idem sint sacramentum atque idem sit vivus Christus sub una specie et sub utraque et sub qualibet unius speciei parte, idem est quoad sacramentum, respective quoad substantiam sacramenti vel virtute ipsius sacramenti. Hisce expositis apparet sententiam heterodoxorum, qui huiusmodi sensum non admittunt, damnandam esse¹²²⁾. Utrum autem plus sumatur *quoad gratiam* sub utraque quam sub una specie, acris fuit controversia. Nonnulli patres — cum materia ad scholasticas controversias spectare videretur — putarunt rem totam omittendam esse¹²³⁾. Alii — licet persuasi essent heterodoxorum doctrinam „quoad gratiam“ haeresim continere — tamen nolebant eam auctoritative diiudicare¹²⁴⁾. Ex contrario autem Salvator Alaputius archiep. Turritanus, quamvis ipse tenuerit plus accipi sub utraque specie quam sub una, tamen nullam in concilii decreto de gratia mentionem ponendam esse dixit¹²⁵⁾. Nicolaus Psalmæus ep. Viridunensis idem faciendum esse censuit, sed tamen ob aliam causam hoc faciendum esse putavit, videl. propter dubium hucusque nondum remotum, utrum scil. sub utraque specie plus gratiae quam sub una tantum sumatur¹²⁶⁾. Non defuerunt denique, qui simpliciter autumabant plus gratiae sumi sub utraque quam sub una specie¹²⁷⁾. Etiam Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini dixit „quoad gratiam, stante hac prohibitione ecclesiae communionis sub utraque, tantum gratiae sub una, quantum sub utraque“ sumi. „Si autem — per-

¹²²⁾ Theiner I, 517. Aloysio Lippomani testante „art. IX... ab omnibus damnandus fuit *quod sacramentum*“ ibid.

¹²³⁾ Petrus Augustinus O. S. A. ep. Oscensis et Michaël de Puig ep. Elnensis.

¹²⁴⁾ Pavius Gregoriantius ep. Zagrabiensis, Gasparus Ioffre ep. Segobricensis, Joannes de Salazar ep. Lancianensis, Franciscus Manrique de Lara ep. Auriensis, Joannes Ferd. de Temino ep. Legionensis, Joannes Sanmillanus ep. Tudensis, Petrus Vaguer ep. Algarrensensis, Antonius de Codina O. S. A. ep. Lacorensis.

¹²⁵⁾ Theiner I, 503.

¹²⁶⁾ Theiner I, 513.

¹²⁷⁾ Petrus Guerrero archiep. Granatensis, Vincentius de Leone O. Carm. ep. Bossanensis et Aegidius Foschararius ep. Mutinensis.

git — huiusmodi ecclesiae prohibitio non esset, sumens sub utraque plus sumeret, quam sub una ex vi sacramenti, quia sacramentum per se ipsum etiam multum valet“. Etenim „sub specie... panis gratia sumitur, sub specie vini gratia etiam sumitur, ergo bis gratia et maior sub utraque, quam sub una“¹²⁸⁾.

Nihilominus tamen — ut notat praefatus iam ep. Veronensis Aloysius Lippomanus — „maior... pars sentit non sumi maiorem gratiam sub utraque, quam sub una et eadem pars sentit de gratia non esse faciendam mentionem“¹²⁹⁾.

Disputatione patrum absoluta eodem episcopo Veronense proponente nominantur decem patres, quorum — ut supra dictum est — canones iuxta patrum sententiam conficiendi sunt. Biduo elapso revera decem canones confecti sunt, quorum duo motam continent materiam atque primam constituunt redactionem canonum post undecim annos auctoritative definiendorum¹³⁰⁾. Cum tamen novae difficultates externae ortae sint, materia circa communionem in tempus posterum dilata est.

DECRETI CONCILII FORMATIO.

Quamvis canones de communione sub utraque specie in secunda concilii periodo quoad primam redactionem iam praeparati fuerint, nihilominus tamen tota haec materia iterum venit ad theologos minores, quibus in forma quinque articulorum quaestio examinanda proposita est¹³¹⁾. Huius examinationis brevis

¹²⁸⁾ Theiner I, 513. — Probabiliter Christophorus Patavinus, Seripandi Hieronymi in hoc officio immediatus successor.

¹²⁹⁾ Theiner I, 517.

¹³⁰⁾ Can. VIII: „S. q. d. necessarium esse ad salutem et divino iure praeceptum omnes et singulos Christifideles sub utraque specie communicare; aut errasse hactenus ecclesiam, quod laicos et non celebrantes sacerdotes sub una panis specie communicaverit a. s.“ Can. X: „S. q. d. minus sumi sub una specie quam sub utraque, vel laicis iniuriam fieri; aut ipso sacramenti fructu defraudari, qui sub una specie communicant a. s.“ Theiner I, 520.

¹³¹⁾ 1. An ex Dei praecepto ad salutem necessario omnes et singuli Christifideles utramque speciem suscipere teneantur sanctissimi Eucharistiae sacramenti. 2. An rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una

expositio in forma summae sententiarum theologorum super articulis de usu sacramenti eucharistiae in actibus conc. Tridentini continetur et a secretario eiusdem concilii Angelo Massarello ep. Thelesino „visa est“¹³²). Cum tamen non omnia ibi exposita sententiis theologorum fideliter respondeat, eorum doctrina — ut expositio sit accurata — explananda remanet.

Etenim ad primum articulum quod attinet praefata „summa sententiarum“ dicit responsum fuisse „ab omnibus negative quoad non conficientes; respectu autem conficientium dictum fuit ab omnibus quod est de iure divino, praeter unum Lusitanum (Amantem Brixiansem O. Serv.), qui dixit quoad conficientes non esse de iure divino“¹³³). Attamen, licet maior pars theologorum quoad non conficientes communionem sub utraque specie de iure divino esse negaverit, non defuerunt, qui oppositam sententiam secuti sunt. Petrus Sotto O. P. putavit quaestionem, quippe quae in conc. Constantiensi iam definita sit, disputationis obiectum esse non posse¹³⁴). Alii, ut Melchior Cornelius et Camillus Campenius O. P. expresse contra primum articulum nihil dixerunt aut sicut Joannes de Ludenna O. P. „non cupit hanc quaestionem decidi, cum multi gravissimi doctores eundem sensum habeant“¹³⁵). Deinde praefatus Amans Brixianensis per excessum dixit, sicut sacerdotes conficientes ita et

tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus. 3. An si honestis et Christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur; sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quanam sint illae. 4. An minus aliquid sumat, qui sub una tantum specie hoc sacramento utitur, quam qui sub utraque. Art. 5. De communionem parvulorum. CTr VIII, 528. Huic articulorum exemplo additur: „Dicant theologi, quae tamquam vera sive catholica recipienda, quae tamquam falsa sive haeretica reiicienda“. Ibidem.

¹³²) CTr VIII, 614—617. — Ceterum ipse ep. Massarellus confessus est se theologorum sententias annotasse in quantum ipse sensum percipere potuit. Finis enim eiusdem notationis est „colligere ex discussione dictorum articulorum, quod in summa ipsi theologi senserint, ut deinde sancta ipsa synodus iuxta eorum iudicium melius dignoscat tum falsitatem articulorum ipsorum tum veritatem catholicae fidei“ Theiner I, 490.

¹³³) CTr VIII, 614.

¹³⁴) CTr VIII, 546.

¹³⁵) CTr VIII, 544 s., 556.

laicos sub utraque specie ex iure divino communionem accipere debere¹³⁶). Alii ex contrario autumarunt laicos vel generatim non conficientes ad communionem sub utraque specie ex iure divino non teneri¹³⁷).

Simili modo minus accurata est commemorata summa sententiarum respectu conficientium. Multi enim fuerunt theologi, qui nihil hac de re dixerunt¹³⁸). Insuper fuerunt theologi, qui distinxerunt inter hoc sacramentum ut sacramentum et ut sacrificium. Sacrificantes — en tenor argumenti — tenentur ad communionem sub utraque specie, „quia ipsi repraesentant Christum in cruce

¹³⁶) CTr VIII, 566 s.

¹³⁷) Alphonsus Salmeron S. J., Antonius Solisius, Ferdinandus de Bello sillo, Aloysius de Sottomaior O. P., Franciscus Torres, Ferdinandus Tricius, Didacus de Paiva, Joannes Ramirez O. M. Obs., Aloysius Contreras O. M. Obs., Franciscus Foresius O. P. Joannes Lobera O. M. Obs., Joannes Bapt. de Burgos O. S. A., Franciscus Sancez, Joan. Anton. de Campo de Spina, Petrus Ciemel, Petrus Canisius S. J., Franciscus Orantes O. M. Obs., Angelus Ciofius O. P., Simon Florentinus O. E. S. A., Franciscus Lombardus, Caesar Ferrantius, Michaël Mosonus, Antonius de Montealcino O. M. Conv., Aloysius de Burgonovo O. M. Obs., Bartholomaeus de Pergula O. M. Conv., Clemens Thomasinus O. M. Conv., Bernardinus Berardus O. P., Lucretius Tirabusus O. Carm., Joannes de Viletta, Thaddaeus Perusinus O. E. S. A., Bonaventura de Meldula O. M. Conv., Antonius Laytanus, Benedictus de Brixia O. P., Theodorus Masius O. Carm., Angelus de Periolo O. M. Obs., Benedictus Arias, Federicus Pendasius, Octavianus Carus O. M. Conv., Antonius de Mondulphio O. E. S. A., Didacus Sobanius, Laurentius Lauretus O. Carm., Petrus Fontidonius, Stephanus de Aretio O. S. M. S., Antonius a Cubalo O. M. Conv., Marcus de Medicis O. P., Petrus Morcatus, Antonius de Padua O. M. Obs., Joannes Fonseca, Eugenius de Pisauru O. E. S. A., Andreas de Amandula O. M. Conv., Theutonium Lusitanus.

¹³⁸) Alphonsus Salmeron S. J., Camillus Campegius O. P., Petrus Sotto O. P., Franciscus Sancez, Joannes de Ludenna O. P., Joannes Ramirez O. M. Obs., Joannes Lobera O. M. Obs., Joannes Bapt. de Burgos O. S. A., Alphonsus Marcantes, Joan. Anton. de Campo de Spina, Franciscus Orantes O. M. Obs., Angelus Ciofius O. P., Simon Florentinus O. E. S. A., Franciscus Lombardus, Caesar Ferrantius, Clemens Thomasinus O. M. Conv., Lucretius Tirabusus O. Carm., Benedictus de Brixia O. P., Benedictus Arrias, Federicus Pentasius, Octavianus Carus O. M. Conv., Antonius de Mondulphio O. E. S. A., Vincentius de Messana O. M. Obs., Stephanus de Aretio O. S. M. S.

se offerentem“¹³⁹⁾. Haec autem obligatio est tum ex iure divino positivo tum ex natura ipsius sacrificii, „quia illi (dum) offerunt tenentur perfecte totum sacrificium perficere“¹⁴⁰⁾ et ipse Christus praecepit „in persona apostolorum“ conficientibus tantum communionem sub utraque specie sumere¹⁴¹⁾.

Similiter sicut in congregationibus praecedentibus etiam nunc difficultas ex sermone Christi apud Joannem contento (6, 54) plures theologos ad disquisitionem movit. Dum multi praefatum textum in sensu manducationis sacramentalis interpretarunt¹⁴²⁾, non defuerunt, qui sensum manducationis spiritualis praeferebant¹⁴³⁾. Verumtamen cum huiusmodi difficultatis solutiones insufficientes esse viderentur, nonnulli dixerunt hunc textum non de speciebus, sed de corpore, in quo caro et sanguis contineatur, intelligendum esse¹⁴⁴⁾. Non defuerunt, qui textum Joanneum in sensu manducationis tum spiritualis tum sacramentalis interpretari voluerunt¹⁴⁵⁾, vel qui dixerunt hunc scripturisticum locum in sensu manducationis spiritualis litteraliter in sensu autem manducatio-

¹³⁹⁾ Antonius Solisius CTr VIII, 541.

¹⁴⁰⁾ Michaël Masonius CTr VIII, 563. Idem Balthasar Neapolitanus O. M. Conv., Thaddaeus Perusinus O. E. S. A., Didacus Sobanius, Marcus de Medicis O. P.

¹⁴¹⁾ Ita Alphonsus Salmeron S. J., Franciscus Torres, Didacus Paiva, Petrus Fontidonius.

¹⁴²⁾ Ferdinandus Tricius, Joannes Ramirez O. M. Obs., Joannes Lobera O. M. Obs., Franciscus Orantes O. M. Obs., Aloysius de Burgonovo O. M. Obs., Bernardinus Berardus O. P., Franciscus Trigullus, Angelus de Petriolo O. M. Obs., Octavianus Carus O. M. Conv., Didacus Sobanius.

¹⁴³⁾ Alphonsus Salmeron S. J., Antonius Solisius, Ferdinandus de Bellosillo, Camillus Campegius O. P., Joannes de Ludenna O. P., Angelus Ciofius O. P., Clemens Thomasinus O. M. Conv., Joannes Villetta, Benedictus de Brixia O. P., Laurentius Lauretus O. Carm., Petrus Fontadonius, Joannes Fonseca.

¹⁴⁴⁾ Joannes Ant. de Campo de Spina, Petrus Ciemel, Simon Florentinus O. E. S. A., Franciscus Lombardus, Caesar Ferrantius, Bartholomaeus de Pergula O. M. Conv., Antonius Laytanus.

¹⁴⁵⁾ Melchior Cornelius, Petrus Sotto O. P., Didacus Paiva, Franciscus Sances, Michaël Masonus, Thaddaeus Perusinus, O. E. S. A., Benedictus Arrias, Federicus Pendasius, Antonius de Mandulphio O. E. S. A., Vincentius de Messina O. M. Obs., Theotoni Lusitanus.

nis sacramentalis allegorice intelligendum esse¹⁴⁶). Alii denique in hoc textu praeceptum ad sacerdotes tantum litantes referendum inveniri docebant¹⁴⁷).

Insuper praefata „Summa sententiarum“ exponit opinionem eorum, qui textum Joanneum in sensu „manducationis et bibitionis passionis Christi“ interpretati sunt. Quinam tamen huius opinionis auctores sint, ex concilii actis minime elucet¹⁴⁸).

Supplementi gratia addendum est theologos minores tum in doctrina proponenda tum in difficultatibus solvendis generatim non adduxisse, nisi argumenta ex superioribus disputationibus nota, praeter aliqua testimonia ex operibus Innocentii III, Alberti M. et Joannis Turrecrematae hausta¹⁴⁹).

Secundum articulum quod attinet, cum quaestio magis sub respectu practico diiudicanda venerit atque variae circumstantiae considerandae fuerint, theologorum sententiae divisae sunt. Theologi communiter dicebant ecclesiam posse pro loco et tempore concedere administrationem communionis sub utraque specie, quia ipse administrationis modus non est nisi iuris stricte divini¹⁵⁰). Utrum tamen rationes, quibus ecclesia adducta communionem sub una tantum specie administravit laicis atque clericis non litantibus, tanti sint valoris proindeque ita retinendi, ut nulla sub ratione calicis usus cuiquam sit permittendus theologi acriter disputabant¹⁵¹).

¹⁴⁶) Joannes Fonseca CTr VIII, 612.

¹⁴⁷) Theodorus Masius O. Carm. CTr VIII, 603.

¹⁴⁸) CTr VIII, 615. Ad hanc totam quaestionem cf. F. Cavallera, *L'interprétation du chap. VI de St. Jean — Une controverse exégétique au Concile de Trente*: Revue d'Histoire Eccl. X (1909), 687—709.

¹⁴⁹) CTr VIII, 614.

¹⁵⁰) Sententiam oppositam secuti sunt: Joannes Lobera O. M. Obs., Caesar Ferrantius, Clemens Thomasinus O. M. Conv., Angelus de Petriolo O. M. Obs.

¹⁵¹) Secundum Lucretium Tirabulum O. Carm., „non est concedendus calix, sed catholicis cum haereticis manentibus potest tolerari, ut accipiatur, quomodo possunt“ CTr VIII, 571. Alii autem concessionem communionis sub utraque non admittebant, nisi adiunctis conditionibus verificatis. Etenim Antonius Leytanus dixit „non esse cocedendum calicem, nisi ad fidem catholicam revertentibus“ CTr VIII, 600 s. Eandem sententiam secuti sunt: Benedictus de Brixia O. P., Franciscus Trugillus, Benedictus Arrias, Federicus Pendasius, Antonius de Mondulphio O. E. S. A., Didac. Sobanius, Vincent. de Messina O. M. Obs., Laurentius

Pari modo articulus sequens materiam disciplinarem continet et similiter ac praecedens theologorum disputationis obiectum fuit, quamvis ob confusam materiae propositionem non omnes recte rem perspexerint¹⁵²).

Momentum centrale totius theologorum disquisitionis fuit articulus IV, materia pro futuro canone tertio, „qui videtur signum

Lauretus O. Carm., Petrus Fontidonius, Marcus de Medicis O. P., Petrus Morcatus, Eugenius de Pisauero O. E. S. A., Andreas de Armandula O. M. Conv., Theutonium Lusitanus. Secundum Angelum Ciofium O. P. „Ob unitatem... concedi potest alicui regno calix, modo magna adhibeatur diligentia, ne inconvenientiae, ob quas prohibitus est, eveniant“ CTr VIII, 559. Idem dixerunt Franciscus Lombardellus, Balthasar Neapolitanus O. M. Conv., Michaël Mosonus, Aloysius de Burgonovo O. M. Obs., Bartholomaeus de Pergula O. M. Conv., Bernardinus Berardus O. P., Thaddaeus Perusinus O. E. S. A., Bonaventura de Meldula O. M. Conv., Petrus Canisius S. J. ad concessionem calicis admittendam aliquas difficultates superandas postulavit: CTr VIII, 558. Alphonsus Contreras O. M. Obs. rem ita distinguit: „Vel est catholicus qui petit, vel non, vel unus, vel plures, id est communitas; si haeretici non est eis concedendum, manentibus in haeresi, si autem sunt catholici vel non suspecti de haeresi, est etiam maxime advertendum, cum ipsi debent se conformare aliis catholicis... Si autem peteretur a singulari persona, ut a rege devotionis gratia, esset concedendum. Posset tamen regno id petenti et ceteros errores relinquenti permitti, licet non concedi, et si pacta et conditiones et iuramenta et provisiones servari possent, essent exigenda“ CTr VIII, 550. Secundum Franciscum Forerium O. P., „si aliqua ecclesia uteretur ex consuetudine utraque, non peccaret (quia uti utraque specie est malum quia prohibitum), dummodo in aliis sit catholica, neque ab illis esset amovenda“ CTr VIII, 551. Joan. Ant. de Campo de Spina exposuit rationes propter quas ecclesia calicem prohibuit, scil. reverentiam sacramenti, pericula, scandala et salutem laicorum. Quae tamen rationes si cessent et ad fidelium salutem requireretur communicatio sub utraque, haec concedenda esset. CTr VIII, 553.

¹⁵²) CTr VIII, 616. Ceterum materia in hoc articulo tractanda tempore inquisitionis cum materia articuli praecedentis considerata est. — Attamen Joan. Anton. de Campo de Spina praetulit rationes in conc. Constantiensi expositas et dixit communionem sub utraque specie concedendam esse verificatis octo conditionibus: „1. Ut in omnibus se conforment ritibus sanctae Romanae ecclesiae. 2. Non credant, ecclesiam errare communicando sub una. 3. Credant sub una totum Christum contineri. 4. Credant non teneri ad id ex divino praecepto, sed esse positum ex potestate ecclesiae. 5. Ut non compellant invitum ad accipiendum utramque. 6. Ut caveant periculum. 7. Infirmis et tremulis quod non detur. 8. Quod agnoscant ecclesiam id concessisse in eorum salutem“ CTr VIII, 553.

ad sagittam, in quo omnes tela iaciunt“¹⁵³). Et quamvis posita sit quaestio, utrum minus sumatur sub una quam sub duabus speciebus, hoc tamen non obstante theologi — licet non omnes — sicut in congregationibus praecedentibus iam obtinuit, et quod in heterodoxorum correspondente articulo fundatur duas huius materiae considerant partes: primum inquiritur id quod continetur deinde sciscitatur id quod sumitur.

Ad primum problema quod attinet nemo theologorum fuit, qui dubitaverit, utrum sub una specie minus contineretur, quam sub duabus. Huiusmodi enim dubium iam esset contra dogma fidei ante undecim annos in eodem concilio definitum, ubi manifeste dictum est „statim post consecrationem verum Domini... corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini... inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub altera specie atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius specie parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus existit“¹⁵⁴).

Hoc dogma esse fundamentum problematis secundi generaliter considerati theologi communiter concesserunt, atque hoc supposito admissio dixerunt totum Christum in quacumque specie sumi¹⁵⁵). Sed problemate in specie considerato non parvae ortae

¹⁵³) Ita Joannes Bapt. Castaneus archiep. Rossanensis CTr VIII, 637.

¹⁵⁴) Denzinger-Umberg, n. 876.

¹⁵⁵) Alphonsus Salmeron S. J., Antonius Solisius, Ferdinandus de Bellosillo, Franciscus Torres, Camillus Campegius O. P., Petrus Sotto O. P., Joannes Ramirez O. M. Obs., Alphonsus Contreras, Franciscus Forerius O. P., Joannes Ant. de Campo de Spina, Petrus Ciemel, Joannes del Gado, Angelus Ciofius O. P., Franciscus Lombardus, Balthasar Neapolitanus O. M. Conv., Antonius de Montealcino O. M. Conv., Clemens Thomasinus O. M. Conv., Thaddaeus Perusinus O. E. S. A., Bonaventra de Meldula O. M. Conv., Antonius Laytanus, Benedictus de Brixia O. P., Theodorus Masius O. Carm., Octavianus Carus O. M. Conv., Antonius de Mondulphio O. E. S. A., Didacus Sobanius, Stephanus de Aretio O. S. M. S., Marcus de

sunt difficultates. Etenim venit quaestio antea nondum decisa, utrum revera quoad gratiam nulla sit in communione sub altera an sub utraque specie differentia. Nonnulli rationibus ex utraque parte ponderatis dixerunt utramque sententiam probabilem esse¹⁵⁶). Alii magis circumspecte procedentes quaestionem non decidendam esse iudicaverunt¹⁵⁷). Non defuerunt sententiae, secundum quas maior gratia sumitur sub utraque, quam sub una specie¹⁵⁸). Thaddaeus Perusinus O. S. A. distinctionem introduxit inter species significantes et rem contentam. Cum ratione specierum significantium plus sumatur, ratione tamen contenti idem sumitur¹⁵⁹). Eandem distinctionem sequitur Aloysius de Burgonovo O. M. Obs., qui tamen eandem alio modo explicare conatus est. Cum Perusinus identitatem gratiae manifesto confiteatur, franciscanus Parmanensis manifesto dicit in sacramento eucharistiae ratione significationis sub utraque specie plus sumi, quam sub una. „Cum sint autem — ait — plura sacramenta sub duabus speciebus, maiorem gratiam conferunt; alias sacramentum non conferet gratiam si secunda species nihil conferet“¹⁶⁰). Alii, licet eandem distinctionem secuti sint, aliam tamen attulerunt rationem, scil. dispositionis gradum, qui prima sacramentali specie consumata augetur¹⁶¹).

Maior tamen theologorum pars affirmavit ratione ipsius sacramenti tantum gratiae conferri sub una specie quantum sub duabus, quia gratia non confertur ratione specierum sacramentalium, sed ratione ipsius rei, quae sub specie sacramentali continetur. Praeter hanc communem

Medicis O. P., Joannes Fonseca, Eugenius de Pisauero O. E. S. A., Andreas de Amandula O. M. Conv.

¹⁵⁶) Joannes Bap. de Burgos O. S. A. et Franciscus Sanchez.

¹⁵⁷) Joannes Lobera O. M. Obs., Joannes del Gado, Franciscus Sanchez, Franciscus Orantes O. M. Obs.

15

¹⁵⁸) Joannes de Ludenna O. P., qui ad sententiam suam probandam ad S. Thomam provocat, licet immerito. Eandem sententiam secuti sunt Petrus Fontodonius et Joannes Fonseca.

¹⁵⁹) CTr VIII, 597.

¹⁶⁰) CTr VIII, 564.

¹⁶¹) Didacus Paiva, Joannes Ramirez O. M. Obs., Alphonsus Contreras O. M. Obs., Franciscus Forerius O. P., Angelus Ciofius O. P., Franciscus Lombardus O. P., Caesar Ferrantius, Michaël Mosonus.

theologorum rationem non defuerunt alia argumenta. Etenim Petrus Ciemel hanc affirmationem in concilio Constantiensi, Florentino et Tridentino¹⁶²⁾ fundari demonstrare conatus est atque postulavit, ut definiretur „non tantum signis, sed contentis sub his speciebus conferri gratiam, neque maior gratia sub utraque, quam sub una conferri“. Hoc tamen non obtinet nisi post Christi resurrectionem. Quapropter „si Jacobus confecisset triduo, quo Christus fuit in sepulchro, non idem sub una, quam sub alia contentum fuisset, sed eo modo, quo corpus Christi tunc erat“¹⁶³⁾. Ex contrario autem Angelus Ciofius O. P. manifesto dixit, cum hac in materia decidenda nullum inveniatur verbum Dei expressum et ecclesiae statutum, ad naturam rei reccurrendum esse, ex qua deinde deducendum est „an sit plus sub utraque specie, quam sub una; sed signa quae signa sunt nihil conferunt, sed ratione significantis vel contenti; sed in qualibet specie est integer Christus; ergo non plus gratiae confertur, cum idem integer sit Christus... Ergo laici sub una accipientes nullo fructu defraudantur ab ecclesia“¹⁶⁴⁾. Octavianus Carus O. M. Con. praeter rationes supra consideratas exposuit etiam alias. Etenim sacramentum eucharistiae, licet diversae sint species, est unum primo unitate institutionis et repraesentationis, „quia ab uno institutore Deo“, procedit et tendit ad unum „repraesentandum, scil. integrum corpus Christi“, quod et sanguinem Salvatoris includit; deinde hoc sacramentum est unum „ratione unius effectus, scil. Christi, qui subsistit in sacramento“; denique est „unum ratione finis in repraesentando, quia repraesentat passionem Christi“. Unde sequitur non plus gratiae sumi sub duabus, quam sub una specie, „quia si plus vel hoc est quia sunt plura sacramenta, vel quia non totus Christus continetur sub una. Non primum per primum dictum, quia unum est sacramentum; non secundum per secundum dictum; ergo relinquitur conclusio clara, quod non plus sumitur (sub duabus, quam sub una specie“)¹⁶⁵⁾. Hoc tamen admissio oritur quaestio, quaenam sit ratio sumptionis ipsius calicis a sacerdote litante. Praefatus theologus Neapolitanus ad difficultatem solvendam dixit sacerdotem

¹⁶²⁾ *Decretum de SS. Eucharistia* de die 11 Octobris an. 1551.

¹⁶³⁾ CTr VIII, 554 s.

¹⁶⁴⁾ CTr VIII, 559.

¹⁶⁵⁾ CTr VIII, 605.

dum sumit sub specie panis re, sub specie vini in voto sumere. Quae cum ita sint elucet ex una parte totam gratiam, quae confertur sub utraque specie, conferri etiam sub una specie, ex altera autem parte hoc non obstante sanguinem sub specie vini non frustra sumi¹⁶⁶). Hanc tamen solutionem non sufficientem esse iudicavit Bartholomaeus de Pergula O. M. Con., qui aliquam aliam substituit. Videlicet distinxit inter gratiam subsistentem, de qua minime plus sumitur sub utraque, quam sub una specie, et gratiam inhaerentem, de qua gradus sumptionis gradui dispositionis respondet¹⁶⁷).

Theologorum disputationibus absolutis quatuor canones — ut iam dictum est — proponuntur, in quibus materia articulorum primi, quarti et quinti diiudicetur. Alii autem articuli scilicet secundus et tertius, quorum obiectum praesertim res disciplinares fuerunt — cum nondum decisum sit, utrum super eos decretum formari posset — in forma articulorum propositi sunt¹⁶⁸). Hanc materiae divisionem communiter patres concesserunt, licet non defuerint, „qui non censuerunt edendum canonem super quarto articulo a theologis examinato“¹⁶⁹).

¹⁶⁶) Ibidem.

¹⁶⁷) CTr VIII, 566.

¹⁶⁸) CTr VIII, 618. Canones: 1. „S. q. d., ex Dei praecepto ad salutem necessario omnes et singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti suscipere debere a. s.“ 2. „S. q. d. sanctam ecclesiam catholicam vel pecasse vel non optimis rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie communicaret a. s.“ 3. „S. q. d. non tantum sumi sub una sanctissimi Eucharistiae sacramenti specie, quantum sub utraque, eo quod non totam Christi institutionem sumat a. s.“ (Can. 4. De communione parvulorum). Articuli: „An rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuicumque sit permittendus. An, si honestis et christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quatenam sint illae“.

¹⁶⁹) Hic pertinent Petrus Guerrero archiep. Granatensis, Ludovicus Beccatellus archiep. Ragusinus, Julius Pavesius O. P. archiep. Surrentinus, Bartholomaeus de Martyribus archiep. Bacarensis, Leonardus Marinus archiep. Lancianensis, Lucas Bysantius ep. Cattarenensis, Alexander Piccolhomineus ep. Pientinus, Antonius ex comitibus de Cuccurno O. P. ep. Brugnatensis, Martinus Perez de Ayala

In propositis canonibus examinandis patres — sicuti etiam antea factum est — non tam ipsa argumenta prae-
parabant, quippe quae in theologorum congregationibus per
longum et latum disquisita sint, quam argumentorum in-
quisitione supposita aliquas opportunitatis observationes
adiungebant atque postulabant, ut canonibus ipsis aliqua doc-
trina praemitteretur, in qua eorundem canonum sensus atque con-
cillii intentio fidelibus explicaretur¹⁷⁰⁾, ne canones seorsim aut per
homines privatos, sed conciliariter conditos esse viderentur¹⁷¹⁾.

Ad primum canonem quod attinet dicendum est patres hunc
canonem communiter quoad materiam admisisse, licet multi
eorum varias adnotationes, quae praesertim modum redactionis
respiciunt, apposuerint. Praeprimis expressio *ex Dei praecepto
ad salutem necessario* multorum iudicio aliqua mutatione indi-
gebat. Plures dicebant vocabulum *necessario* omnino superfluum
esse. Unde — opinione eorum — relinquendum est *ex Dei prae-
cepto*, vel substituendum est per *de (ex) necessitate salutis*¹⁷²⁾,

ep. Segobiensis, Acisclus Moya de Contreras ep. Vicensis, Hieronymus
de Velasco ep. Ovetensis. CTr VIII, 618.

¹⁷⁰⁾ Hic pertinent: Card. Ludovicus Madrutius, L. Beccatellus
archiep. Ragusinus, Octavianus Praeconius archiep. Panormitanus, ep.
M. Perez de Ayala, Pompeius de Piccolhominibus ep. Tropien-
sis, Jacobus Lomellinus ep. Mazariensis, Donatus de Laurentiis
ep. Moniriensis, Petrus Danesius ep. Vauriensis, Andreas Cuesta ep.
Legionensis, Ant. Seb. Minturnus ep. Uxentinus, Joan. de Grossis
ep. Regiensis, Franciscus Guarinus ep. Imonensis.

¹⁷¹⁾ Haec clausula ab ep. Martino Perez de Ayala die 30 Junii
an. 1562 proposita fuisse videtur contra Gabrielem Paleotto, auditorem
Rotae Romanae, qui in componendis decretis fere omnibus tam dogmaticis
quam de reformatione a legatis adhibebatur. Hoc etiam aliquo modo refe-
rendum est ad Alphonsum Salmeron et Franciscum Torres, de quibus
patres tempore concilii conquerebantur CTr VIII, 640, adn. 2.

¹⁷²⁾ Hanc mutationem proposuit archiep. Granatensis Guerrero,
quem secuti sunt: Anton. Altovita archiep. Florentinus, Joan. Bap. Cas-
taneus archiep. Rossanensis, Mutius Calinus archiep. Jadrensis, Ju-
lius Pavesius archiep. Surrentinus, Bartholomaeus de Martyribus
archiep. Bracarensis, Germanicus Bandinus archiep. Senensis, Gasparus
Cervantes archiep. Messanensis, Octavianus Praeconius archiep.
Panormitanus, Lud. Vaninus de Theodolis ep. Britonoriensis, Thomas
Casellus O. P. ep. Cavensis, Bartholomaeus Sirigo ep. Castellaneten-
sis, Antonius de Cuccurno ep. Brugnatensis, Joannes Antolines ep.
Juvenacensis, Antonius a S. Michaële O. M. Obs. ep. Montismarani,

vel esse ad salutem necessarium¹⁷³⁾ et quidem aut ex expresso verbo Dei¹⁷⁴⁾ aut ex sacris litteris¹⁷⁵⁾. aut denique ex Dei instituto¹⁷⁶⁾. Alii autem putabant expressionem ad salutem necessario omnino relinquendam esse, ne verba ex Dei praecepto frustra dici videantur¹⁷⁷⁾. Theophilus Galluppi ep. Oppidensis aliam redactionem proposuit videl. „...ex Dei praecepto tam clericos, quam laicos utramque speciem...“¹⁷⁸⁾. Octavianus Praeconius archiep. Panormitanus, ut canon „Dei et ecclesiae praeceptum includeret, et genera singulorum non autem singulos generum anathemate feriret“, canonem sequentem proposuit: *Si quis dixerit ex praecepto ad salutem necessario omnes Christifideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti suscipere debere a. s.*¹⁷⁹⁾. Martinus Perez de Ayala ep. Segobiensis, quem alii etiam secuti sunt, quamvis canonem quoad materiam integrum permaneat oportere diceret, tamen — ne

Julius Gentilis ep. Vultuariensis, Arias Gallecus ep. Gerudensis, Vincentius de Luchis ep. Anconitanus, Jacobus Lomellinus, ep. Mazariensis, Antonius Corionero ep. Almeriensis, Petrus Faunus Costocciarius ep. Aquensis, Lupus Martinez de la Gonilla ep. Elnensis, Joannes Quinnonius ep. Calaguritanus, Scipio Bongallus ep. Civitatis Castellanae et Hortanus, Nicolaus Sfondratus ep. Cremonensis, Joan. Andr. Bellonius ep. Masselubrensis, Georgius Zsivkovich ep. Segniensis, Andreas Mocenicus ep. Nemosiensis, Guilhelmus Casador ep. Barcinonensis, Petrus Gonzalez de Mendoza ep. Salamantinus, Martinus a Corduba seu Mendoza O. P. ep. Dertusensis, Paulus Jovius ep. Nucerinus, Hieronymus Trivisanus ep. Veronensis, Romulus de Valentibus ep. Conversanus, Lucius Maranta ep. Lavellinus, Simon Pasqua ep. Sarzanensis, Franciscus del Gado ep. Lucensis, Franciscus Guarinus ep. Imolensis.

¹⁷³⁾ Urbanus Vigerius de Ruvere ep. Sinogalliensis et Didacus Covarruvias ep. Civitatis.

¹⁷⁴⁾ Bernardus del Bene ep. Nemausensis.

¹⁷⁵⁾ Dominicus Bollandus ep. Brixiensis.

¹⁷⁶⁾ Thomas Campegius ep. Feltrensis.

¹⁷⁷⁾ Thomas Goldvellus ep. Assaphensis, Franciscus Blanco ep. Auriensis, Andreas Cuesta ep. Legionensis, Antonius Augustinus ep. Herdensis, Ant. Seb. Minturnus ep. Uxentinus, Petrus de Xaque ep. Niocensis, Hippolytus Rubbeus ep. Papiensis, Jac. Gilb. Nogueiras ep. Aliphanus, Spinellus Bentius ep. Montispolitiani, Franciscus Abondius Castillioneus ep. Bobiensis et Christophorus Patavinus Gener. O. E. S. A.

¹⁷⁸⁾ CTr VIII, 647.

¹⁷⁹⁾ CTr VIII, 637.

in ipso sono verborum huius anathematis implicarentur aliqui antiqui patres qui multis in locis communionem sub utraque specie ad divinam dispositionem pertinere insinuant et solum haeretici ferirentur — proposuit, ut illi ablativo *ex Dei praecepto* adderetur *absolute ad salutem necessario*¹⁸⁰⁾. Non defuerunt, qui hac in materia redactionem conc. Constantiensis praetulerunt¹⁸¹⁾.

Pariter quoad materiam can. 2. patres fere omnes suum „placet“ dixerunt, quamvis aliqui nonnulla canonis verba varianda, quaedam singula mutanda vel addenda, ipsumque canonem magis clare formandum esse expetiverint. Etenim Hieronymus Nichisola ep. Theanensis et Thomas Ohierllaithe ep. Rossensis dixerunt loco illius verbi *sanctam ecclesiam catholicam* ponendum esse aliud scil. *ecclesiam Romanam* (vel utrumque)¹⁸²⁾. Alii praeferebant, ut loco verbi *peccasse* ponatur verbum *errasse*; loco *optimis* dicatur *congruis* aut *iustis* aut *piis rationibus* aut *rationalibus causis*¹⁸³⁾. Deinde nonnulli postulabant, ut loco expressionis *laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes* ponatur *fideles non celebrantes* aut *et clericos non celebrantes* aut *et quoscumque alios praeter non celebrantes sacerdotes* aut denique *omnes et singulos Christifideles non celebrantes*¹⁸⁴⁾. Non defuerunt, qui ex verbis *sub una tantum panis specie* vocem *tantum* amoveri volebant vel loco totius huius expressionis aliam scil. *ad communionem sub utraque specie non admiserit* vel denique loco propositionis *ut laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie communicarent* aliam videl. *cum communicare instituit substituere* praeferebant...¹⁸⁵⁾. Thomas

¹⁸⁰⁾ CTr VIII, 641. Eandem sententiam secutus est Gabriel de Monte ep. Esinus.

¹⁸¹⁾ Aegidius Foschararius ep. Mutinensis, Hieronymus Nichisola ep. Theanensis, Joan. Paulus Amanius ep. Anglonensis CTr. VIII, 646.

¹⁸²⁾ CTr VIII, 644, 648.

¹⁸³⁾ Joan. Bapt. Castaneus archiep. Rossanensis CTr VIII, 637, Julius Gentilis ep. Vultuariensis CVr VIII, 642, Octavianus Praeconius archiep. Panormitanus, Aegidius Foschararius ep. Mutinensis CTr VIII, 639, Petrus Guerrero archiep. Granatensis CTr VIII, 634.

¹⁸⁴⁾ Praefatus archiep. Panormitanus, Pompeius Zambicarius ep. Sulmonensis, Simon Pasqua ep. Sarzanensis, Scipio Bongallus ep. Civitatis Castellanae et Hortanus.

¹⁸⁵⁾ Didacus Cavaruvias ep. Civitatensis, Hieronymus Ragazonus ep. Famaugustanus, Antonius Helius patr. Hierosolymitanus.

Goldvellus ep. Asaphensis voluit totum hunc canonem aliam habere formam videl. *S. q. d. non congruis rationibus institutum fuisse, ut in ecclesiis latinis fideles non celebrantes sub una tantum specie communicarent a. s.*¹⁸⁶⁾.

Praedictus canon hanc ob causam reformatus est, ne anathemate feriatur sacerdotes, qui — licet non conficiant — R. Pontifice solemniter celebranti assistunt et Graeci, quibus alius est ritus. Attamen hoc non sufficit pro Martino Perez de Ayala ep. Segobiensi, qui circa totam hanc materiam voluit dare solidum fundamentum, quo doctrina catholica complectatur „et moles argumentorum, si quae est, adversariae partis funditus rueret“. Quapropter sequentem canonem proposuit: *S. q. d. sanctam ecclesiam, apostolos eorumque legitimos successores ecclesiae prae-positos, maxime in unum legitime congregatos, non habere a Deo potestatem declarandi, instituendi, restringendi, ampliandi circa usum et ritum divinorum sacramentorum, quantum ad personas, ad locum, tempus et alia, quae ipsa sacramenta et usum eorum concernent, salva tamen eorum, quae ad substantiam praedictorum sacramentorum sint, prout magis viderint et reverentiae ipsorum et saluti fidelium expedire a. s.*¹⁸⁷⁾. Qui canon — ut ipse eiusdem auctor declarat — non tantum materiam canonis praebet, verum etiam alia multa, quae ad negotium huius sacramenti et aliorum maxime pertinent; insuper fideles de re maxime necessaria instruit eisdemque subministrat arma, „quibus ab importunis haereticorum argumentis se tueantur“¹⁸⁸⁾.

Sicut in theologorum congregationibus peractis et patrum disputationibus etiam nunc can. 3. obiectum acerrimae controversiae sistitur. Quamvis enim multi fuerint patres, qui hac de materia suum „placet“ simpliciter dixerint¹⁸⁹⁾, tamen pariter

¹⁸⁶⁾ CTr VIII, 650.

¹⁸⁷⁾ CTr VIII, 641.

¹⁸⁸⁾ Ibid.

¹⁸⁹⁾ Sigismundus Saracenus archiep. Materanus, Octavianus Praeconius archiep. Panormitanus, Vincentius Nigusantius ep. Arbensis, Joan. Franc. de Flisco ep. Andriensis, Thomas Casellus ep. Cavensis, Quinctius de Rusticis ep. Miletensis, Lucas Bizantius ep. Cattarensis, Alexander Piccolhomineus ep. Pientinus, Joan. Bapt. de Grossis ep. Regiensis, Joannes Franc. de Viridura ep. Chironensis, Joannes Beroaldus ep. S. Agathae, Antonius Scarampus ep. Nolanus, Bartholomaeus Capranicus ep. Carinolensis, Ascanius Geraldinus ep. Cattacensis,

multi eorum canonis mutationem vel omissionem postulaverunt¹⁹⁰). Nota distinctio inter expressiones *quoad sacramentum* et *quoad gratiam* iam in principio disputationis accomodata est, necnon patres communiter dixerunt quoad sacramentum idem sumi sub una, quod sub duabus speciebus. Attamen quod ad ipsam attinet gratiam sententiae in oppositas partes divisae sunt. Cum nondum sit decisum utrum haec materia consideratione mereretur necne, nonnulli formaliter instanterque postulabant notandum et determinandum esse an plus gratiae sub duabus speciebus quam sub una conferatur¹⁹¹). Nonnulli asseclae huius sententiae expetebant, ut declararetur communionem sub una specie nihil fructus huius sacramenti subtrahere¹⁹²). Haec sententia magis specificata et declarata est in opinione eorum, qui postulaverunt, ut expresse determinaretur tantum fructus et gratiae sumi sub una specie, quantum sub duabus¹⁹³).

Lactantius de Roverella ep. Ascalanus, Julius Gentiljs ep. Vultuariensis, Jacobus Silverius Poccolhomineus ep. Apprutinus, Jacobus Mignanelus ep. Grossetanus, Joan. Andr. Crutius ep. Tiburtinus, Sebastianus Gualterius ep. Viterbiensis, Marianus de Sabellis ep. Eugubinus, Galeatus Roscius ep. Assisiensis, Didacus Sarmiento de Sottomayor ep. Asturicensis, Jacobus Suretus ep. Milopotamensis, Joannes Munatones ep. Segobricensis, Pompeius de Piccolhominibus ep. Tropiensis, Donatus de Laurentiis ep. Minoriensis, Alexander Sforzia ep. Parmensis, Benedictus Salvius ep. Verulanus, Annibal Saracenus ep. Liciensis, Theophilus Gallupi ep. Verulanus, Franciscus Guarinus ep. Imolensis, Thomas Ohierlaitte ep. Rossensis, Stanislaus Falenscius ep. Theodosiensis, Donaldus Magongai ep. Rappotensis.

¹⁹⁰) Canonem superfluum esse iudicarunt pluries commemoratus archiep. Petrus Guerero, Ludovicus Vaninus de Theodolis ep. Britonoriensis, Bartholomaeus Sirigo ep. Castellatensis, Arrias Gallecus ep. Gerundensis, Joan. Carolus Bovius ep. Ostunensis, Petrus Gonzales de Mendoca ep. Salamantinus, Andreas Mocenicus ep. Nimosiensis, Joan. Andr. Bellonius ep. Massaelubrensis, Franciscus del Gado ep. Lucensis, Lucius Maranta ep. Lavellinus, Joan. Fabritius Severus ep. Acerrensis.

¹⁹¹) Scipio Bongallus ep. Civitatis Castellanae et Hortanus.

¹⁹²) Cardinalis Ludovicus Madrutius, Germanicus Bandinus archiep. Corinthius, Martinus de Medicis ep. Marsicensis, Hippolytus Arrivabenus ep. Hieratrepensis, Franciscus Maria Piccolhomineus, Hieronymus Machabaeus ep. Castrensis.

¹⁹³) Antonius Alto vita archiep. Florentinus, Julius Pavesius O. P. archiep. Surrentinus, Georgius Zsivkovich ep. Segniensis, Philippus

Verumtamen non defuerunt, qui omnino oppositam sententiam secuti sunt. Etenim nonnulli dixerunt non esse decidendum de gratia vel efficientia an plus minusve sumatur¹⁹⁴), alii praeferabant declarare verbum *tantum* non intelligi de gratia sed de re contenta¹⁹⁵), nonnulli denique putabant maiorem gratiam sub utraque specie quam sub una sumi¹⁹⁶). Cum tamen difficultas nondum hucusque soluta permanserit multi patres — ut quaestio denique diiudicetur — admitterunt distinctionem inter expressiones *gratia* et *Christi institutio* atque dixerunt sub una specie sumi tantum quoad gratiam, quantum sub utraque specie sumitur, non autem sumi totam Christi institutionem¹⁹⁷). Immo varii patres proposuerunt canones, ubi loco quaestionis de gratia alia, scil. de Christi institutione introducta est¹⁹⁸).

Riccabella ep. Recanatensis, Joannes Antolines ep. Juvenacensis, Joannes Soarez O. S. A. ep. Colimbriensis, Fabius Myrthus ep. Caia-censis, Antonius de Cuccurno ep. Brugnatensis, Joan. Bapt. Bernardus ep. Adiacensis, Jacob. Gilbertus Nogueras ep. Aliphanus.

¹⁹⁴) Joan. Paulus Amanius ep. Aglonensis, Julius Magnanus O. M. Obs. ep. Calvensis, Thomas Casselus ep. Cavensis, Jacobus Na-clantus ep. Clodiensis, Martinus a Corduba ep. Bertusensis, Thomas Stella O. P. ep. Justinopolitanus, Aegidius Foschararius ep. Mutinensis, Sebastianus de Lacavella archiep. Naxiensis, Petrus de Xaque ep. Niochensis, Didacus Ramirez Sedenno ep. Pampilonensis, Simon Pasqua ep. Sarzanensis, Christophorus Patavinus gen. O. E. S. A.

¹⁹⁵) Marcus Cornelius ep. Spalatensis, Bartholomaeus Sebastianus ep. Pactensis, Daniel Barbarus ep. Aquilegiensis.

¹⁹⁶) Petrus Guerrero archiep. Granatensis, cuius auctoritas apud patres multum valuit, quam ob rem multi eius doctrinam generatim secuti sunt, canone tamen tertio excepto. Ad tertium autem canonem quod attinet Granatensem secuti sunt: Ludovicus Vaninus de Theodolis ep. Britonoriensis, Bartholomaeus Sirigo ep. Castellanetensis, Joan. Antonius Pantusa ep. Litterensis, Joannes Antolines ep. Juvenacensis, Belisarius Balduinus ep. Larinensis, Urbanus Vigerius de Ruvère ep. Senogaliensis, Joannes Fabritius Severus ep. Acerrensis, Philippus Maria Campegasus ep. Feltrensis, Joan. Andr. Bellonius ep. Massaelubrensis, Andreas Mocenicus ep. Nimosiensis, Romulus de Valentibus ep. Conversanus, Lucius Maranta ep. Lavellinus.

¹⁹⁷) Marcus Laureus O. P. ep. Campaniensis, Hieronymus de Velasco ep. Ovetensis.

¹⁹⁸) Bartholomaeus de Martyribus archiep. Bracarensis: „dicatur quasi non totum id, quod Christus instituit et praecepit, sumat“. (CTR VIII, 635) Augustinus Salvaigus O. P. ep. Genuensis: „dicatur eo quod non totum, quod Christus intendebat“ (ibid). Ludovicus Beccatellus archiep. Ragusinus: „dicatur toti Christi institutioni satisfacere“ (ibid.). Joann.

Examinatione canonum in congregationibus generalibus pe-
rfecta, ipsisque canonibus ad mentem censurarum patrum, qua-
rum summa ab ep. Angelo Massarello concilii secretario
edita est¹⁹⁹), reformatis, die 4 Julii anno 1562 canones in nova
forma propositi sunt²⁰⁰).

Primus canon in hac nova forma propositus sine muta-
tione usque ad definitionem solemnem permansit, alii scil. secun-
dus et tertius obiectum ulterioris commutationis fuerunt.

Ad secundum canonem quod attinet archiep. Petrus Guer-
rero primo verbum *communicando* in expressionem *ut communi-
caret* mutare et postea omnino novam canonis formam statuere
proposuit²⁰¹). Verumtamen — licet multi patres Granatensem
archiepiscopum secuti sint²⁰²) — nihilominus praedictus canon
aliam formam accepit. Etenim Jacobus Maria Sala „ad tolen-

Bapt. Costaneus archiep. Rossanensis: „verba illa eo, quod non totam
Christi institutionem sumat satis ambigua... Ideo dicerem potius quasi non
totam Christi institutionem, adimpleat, vel quasi non secundum Christi in-
tegram institutionem illud sumat“ (CTr VIII, 637). Hieronymus de Valasco
ep. Ovetensis: „posset addi eo, quod non secundum totam Christi institu-
tionem sumat“ (ibid.). Phil. Maria Campegius ep. Feltrensis: „dicatur
communicantem sub una specie panis toti Christi institutioni non satisfacere“
(ibid.). Mathaeus Priulus ep. Emonensis: „dicatur eo quod non totum
Christi corpus vel quod Christus instituit“ (CTr VIII, 647).

¹⁹⁹) CTr VIII, 649—651.

²⁰⁰) 1. „S. q. d., ex Dei praecepto vel ex necessitate salutis omnes et
singulos Christifideles utramque speciem S-mi Eucharistiae sacramenti su-
mere debere a. s.“ 2. „S. q. d., sanctam ecclesiam catholicam errasse vel non
iustis et rationabilibus causis adductam fuisse, laicos atque etiam clericos
non conficientes sub panis tantummodo specie communicando a. s.“ 3. „S. q.
negaret totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et aucto-
rem, sub una panis specie sumi, quia non secundum ipsius Christi insti-
tutionem sub utraque specie sumitur a. s.“ (4. de communione parvulorum)
CTr VIII, 652).

²⁰¹) „S. q. d., sanctam ecclesiam catholicam non iustis et rationabi-
libus causis adductam fuisse, ut laicis atque etiam clericis non conficien-
tibus calicis usum prohiberet, aut in hoc errasse a. s.“ CTr VIII, 660, cf.
ibid. 657.

²⁰²) Joannes Antolines ep. Juvenacensis, Aegidius Foschararius
ep. Mutinensis, Antonius a S. Michaële O. P. ep. Montismarani, Jacobus
Lomellinus ep. Mazariensis, Joann. Andr. Bellonus ep. Massaelu-
brensis, Pompeius de Piccolhominibus ep. Tropiensis, Nicolaus Sfon-
dratus ep. Cremonensis, Guilhelmus Cassador ep. Barcinonensis et
alii decem qui primam mutationem secuti sunt.

dam omnem dubietatem“, ut materia plena cum claritate explicetur, dixit post verba *adductam fuisse* ponendam esse propositionem *ut laicos atque etiam sacerdotes omnes non conficientes sub panis tantummodo specie communicandos esse statuerit A. S.*²⁰³). Haec mutatio ab episcopo Vivariensi peracta multum valuit, quia aliis mutationibus non obstantibus, aliquibus correctionibus, quae stylum dumtaxat respiciunt, introductis, praefatus canon in sessione solenni definitus est²⁰⁴).

Pari modo etiam canon sequens metamorphosis legi subiectus est. Quamvis enim multi patrum varias formas proposuerint²⁰⁵), haec tamen permansit, quam Philippus Maria Campegius ep. Feltrensis elaboravit²⁰⁶), aliqua commutatione peracta. Etenim in ultimo schemate die 14 Iulii proposito inserta est expressio „ut temere quidam asserunt“. Haec expressio, cuius remotionem tum archiep. Petrus Guerrero tum Hieronymus Trivisanus O. P. ep. Veronensis postulaverunt in calore disputationis mutata, simul cum canone solemniter definita est²⁰⁷).

²⁰³) CTr VIII, 668.

²⁰⁴) „S. q. d. sanctam ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse et, laicos atque etiam clericos non conficientes sub una panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse a. s.“ CTr VIII, 700.

²⁰⁵) Pluries commemoratus archiep. Granatensis: „S. q. negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia non sub utraque specie sumitur a. s.“ CTr VIII, 660. Joan. Bapt. Bernardus ep. Adiacensis: „S. q. negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia non ipsius veram et absolutam Christi institutionem sub utraque specie sumit a. s.“ CTr VIII, 665. Martinus Perez de Ayala ep. Segobiensis: „S. q. d. non tantum veritatis, integritatis ac legitima rationis sacramenti recipi sub una S-mae Eucharistiae specie, quantum sub utraque; vel negaverit sumi totum et integrum Christum vel ipsius corpus et sanguinem, quando altera solum specie trahitur, eo quod non totum sumatur id, quod ipse Dominus sumendum instituerit, sed dimidiatum a. s.“ CTr VIII, 665. Jacobus Lomellinus ep. Mazariensis: „S. q. d. non tantum sumi sub una S-mi Eucharistiae sacramenti specie, quantum sub utraque, eo, quod non totam Christi institutionem sumat... a. s.“ CTr VIII, 668.

²⁰⁶) „S. q. negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur a. s.“ CTr VIII, 675.

²⁰⁷) „S. q. negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia (ut quidam falso asserunt) non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur a. s.“ CTr VIII, 700.

Materia canonum absoluta quaestiones in capitibus doctrinae contentae considerandae remanent.

Quamvis generatim, potissimum autem in concilio Tridentino canones in brevissima synthesi doctrinam definitam proponant eamque sequantur, tamen in materia circa communionis administrationem — si res chronologice consideretur — primo tum apud theologos tum etiam apud patres, licet patres doctrinam canones praecedere in ultima concilii periodo postulaverint, canones inquisiti atque formati sunt, deinde die 4 Julii anno 1562 prima vice doctrina de usu sacramenti eucharistiae formaliter proposita est. Formatio tamen totius huius doctrinae — ut ex supra dictis elucet — minime diu duravit. Etenim doctrina in primo schemate contenta in disputationum calore denuo pertractata et abbreviata, duodecim diebus elapsis simul cum canonibus solemniter definita est.

Quomodo capita decreti formata sunt?

Orientibus in ultima concilii periodo postulationibus, ut in decreto canonibus doctrina anteponatur, aliqui patres, quibus formatio capitum eiusdem doctrinae commissa est, exposuerunt eam in primo schemate, cuius exempla patribus die 4 Julii an. 1562 proposita sunt²⁰⁸). Decem diebus elapsis secundum schema editum est, quod nonnullis expressionibus additis post biduum solemniter definitum est.

In quam re haec transformatio consistit?

Iam primo aspectu elucet numerum ipsorum capitum schematis primi non correspondere numero eorundem capitum sche-

²⁰⁸) Quamvis patres postulaverint ut materia inquirenda conciliariter praeparata sit, nihilominus tamen — ut quaestio inquirenda tandem aliquando absolvatur — tum in canonibus formandis tum in elaboranda doctrina aliqui „deputati“ operam navarunt. De primi schematis doctrinae ortu ita Aegidius Foschararius ep. Mutinensis in epistola ad card. Moronum die 6 Julii 1562 data: „Il carico della dottrina credo io sia dato a Monsgr. Imo Varmiense col giudizio di Monsgr. Seripando“. CTr. VIII, 652, adn. 3. Idem etiam Pallavicino, Istorica L. XVII, c. 7, n. 11. Quapropter F. Cavallera, quem L. Pastor secutus est (*Geschichte der Päpste* Bd. VII⁴ Freiburg i. Br. 1920, 220) dicit Card. Hosium concilii doctrinae auctorem fuisse cf. *L'interpretation du chap. VI de Saint Jean*, 699. — Cum huius quaestiones solutio ambitum dissertationis praesentis excedat, sufficit notare comparatione peracta inter doctrinae capita et card. Hosii opera apparere magnam similitudinem inter utrosque comparationis terminos adesse.

matici ultimi; cum enim decretum de communione praeter quaestionem de communione parvulorum, contineat tres canones totidemque capita cum brevi prooemio in prima totius decreti redactione inveniuntur circa motam materiam tres canones et duo dumtaxat capita sine prooemio. Insuper singula capita ipsius decreti multo breviora sunt capitibus in primo schemate propositis.

Sitne forse ipsa capitum materia abbreviata? Ut recte respondeatur comparationem inter singula schemata perficere oportet.

Ecquidem notandum est huic primo schemati defuisse prooemium, quod iam in secunda redactione suadente Jacobo Lomellino ep. Mazariensi in suo voto die 8 Julii patribus proposito²⁰⁹⁾ et postridie eadem via Antonio Augustino ep. Ilerdense exposcente, qui additionem prooemii postulavit, „ut coniungeretur haec materia cum decretis de eucharistiae sacramento“ et quem hac in materia alii patres secuti sunt, introductum, nonnullis expressionibus mutatis, postea solemniter definitum est²¹⁰⁾. Hoc prooemium sicuti et aliae duae praefationis formae probaliliter elaborata sunt ab iisdem patribus, quibus formatio totius doctrinae commissa est²¹¹⁾. In hac praefatione provocat concilium ad varios errores circa materiam sacramenti eucharistiae, potissimum quoad eiusdem sacramenti administrationem quibus Christifideles adducti a vera fide discedere videntur. Quapropter sufficiens est ratio, ut concilium veram sanamque doctrinam circa hanc materiam fidelibus proponat²¹²⁾.

Insuper singulorum capitum tituli durante patrum disputatione mutati sunt et in hac nova forma in secunda redactione inserti, biduo elapso cum ipso decreto authentice approbati sunt²¹³⁾.

²⁰⁹⁾ CTr VIII, 669.

²¹⁰⁾ CTr VIII, 672.

²¹¹⁾ Quae omnia videntur a „deputatis“ concepta, nisi forte ad vota a patribus dicta pertineant CTr VIII, 672.

²¹²⁾ CTr VIII, 698.

²¹³⁾ Tituli schematis primi: 1. Nullo divino praecepto adstringi laicos, ut sub utraque specie communicent. 2. Tantum suscipi sub una specie, quantum sub utraque. 3. De communione parvulorum. Tituli schematis secundi: 1. Laicos et clericos non conficientes non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie. 2. Ecclesiae potestas circa dispensationem sacramenti eucharistiae. 3. Totum et integrum Christum et verum sacramentum sub qualibet specie sumi. 4. Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem.

Mutationibus externis expositis transformatio interna explicanda remanet.

Duo dumtaxat in prima redactione dantur capita, quibus communitio sub utraque specie exponatur. In primo autem capite inveniuntur quatuor ideae principales, quibus thesis in titulo capitis proposita probatur et quae summam huius capitis constituunt.

Primo contra heterodoxorum doctrinam et iuxta primum canonem statuitur argumentum videlicet ex Christi institutione praxim communionis sub utraque omnium fidelium minime sequi. „Etsi... Christus Dominus — ait caput I — in ultima coena venerabile hoc sacramentum (in panis et vini speciebus²¹⁴) instituit atque adeo apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio eam vim habere existimari debet, ut laici et clerici non sacrificantes statuto Domini ad utramque speciem teneantur, cum eius sacramenti modus et ritus, praebendi sub altera vel utraque specie, in potestate ecclesiae positus sit... Nam etsi sacramenta Christo auctore instituta sunt, tamen modus his utendi ecclesiae est reservatus, quae in administrandis sacramentis consilium rationemque adhibens, eorum ritum variat prout sibi videtur expedire“²¹⁵). Haec ecclesiae circa sacramenta potestas ostenditur tum modo administrationis baptismi tum ritu administrationis sacramenti eucharistiae atque in ecclesiae infallibilitate circa doctrinam Christi proponendam fundatur. Haec ecclesiae auctoritas est etiam fundamentum totius argumentationis in doctrina proposita.

Hac prima capitis parte cum correspondenti parte pariter primi capitis in redactione secunda atque in decreto definito contenta comparata, clare elucet eam abbreviatam esse. Jamvero communiter patres cardin. Ludovico Madrutio ep. Tridentino proponente postulaverunt, ut forma argumenti esset brevior, clarior atque gravior, neque eadem repeterentur atque comparatio inter administrationem sacramenti eucharistiae et baptismi deleretur²¹⁶). Quapropter in praefatis redactionibus dictum est: „... etsi

²¹⁴) Hoc quod in parenthesi continetur reapse in prima schematis forma deest. Cum tamen hoc contentum sit suppositum totius argumentationis nec in sessionibus posterioribus desideretur atque in sequentibus schematibus adsit, in ipso codice concilii vitiose omissum esse sequitur.

²¹⁵) CTr VIII, 653.

²¹⁶) Antonius Helius patr. Hierosolymitanus, Joan. Trevisanus patr. Venetiarum, Petrus Ant. de Capua archiep. Idruntinus, Marcus Cor-

Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituit et apostolis tradidit; non tamen illa institutio et traditio eo tendit, ut omnes Christifideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur²¹⁷⁾.

Cum capita canonibus respondeant necesse sit²¹⁸⁾ — secundus autem canon de potestate ecclesiae circa dispensationem sacramenti eucharistiae dicit — etiam materia de hac quaestione per modum argumenti in praefata parte prima adducta, multis patribus reclamantibus, iam in secunda decreti forma a primo capite disiuncta et apte evoluta, caput secundum constituit, quod in secunda redactione formatus non differt a capite decreti auctoritativi, nisi per additionem expressionis *salva illorum substantia*²¹⁹⁾.

Praeter ipsam institutionem Christi heterodoxi praxim ecclesiae antiquae fundamentum suae doctrinae existimarunt. Quapropter solutio huius difficultatis tum in capite prima vice proposito tum in secunda et tertia alterius capituli redactione invenitur, licet magis concinne et subtiliter proponatur.

Similiter celebris quaestio de interpretatione verborum Christi, quae S. Joannes (6, 54) refert, minime omissa est. Commemorata quaestio quamquam peculiarem canonem, sicut nonnulli postulaverunt²²⁰⁾, non assecuta est, nihilominus tum in duobus

nelius archiep. Spalatensis, Sebastianus de Lecavela O. P. ep. Naxiensis, Petrus Guerrero archiep. Granatensis, Joannes Brunus archiep. Antibarensis, Joan. Bapt. Castaneus archiep. Rossanensis, Ludovicus Beccatelus archiep. Ragusinus, Mutius Calinus archiep. Jadrensis, Sigismundus Saracenus archiep. Materanus, Augustinus Salvaigus archiep. Genuensis, Gasparus Cervantes archiep. Messanensis, Joan. Franc. de Flisco ep. Adriensis, Thomas Casellus ep. Cavensis, Lucas Bizantius ep. Cattarensis, Fabius Myrtus ep. Caiacensis. — Cum concilii non sit demonstrare, sed docere — ut archiepiscopus Castaneus, quem alii secuti sunt, declaravit (CTr VIII, 661) — nonnulla argumenta in prima schematis forma allata, tempore disquisitionis patrum omissa sunt.

²¹⁷⁾ CTr VIII, 686, 699.

²¹⁸⁾ Card. Madrutio proponente haec sententia disputatione durante communis evadit.

²¹⁹⁾ CTr VIII, 686, 699.

²²⁰⁾ Martinus Perez de Ayala ep. Segobiensis in suo voto die 30 Junii dato, opinionem aliquorum theologorum sequens super sensum verborum Jo 6, 54 articulum proposuit: „S. q. d., nihil ex his, quae in 6. cap.

schematibus capituli I tum in decreto definitivo eiusdem capituli invenitur, quamvis non eodem consideretur modo. Etenim in prima praefati capituli redactione, adductis Christi verbis, additur explicatio, in qua auctor concedit iuxta multos patres graecos et latinos verba Christi ad eucharistiae sacramentum pertinere. Ex alia autem parte negat Salvatorem hisce verbis communionem sub utraque specie praecepisse „cum a vocabulis panis et calicis abstinuisset²²¹⁾, quae sunt a tribus evangelistis et Paulo ad eucharistiae sub utraque specie significationem commemorata, se non de speciebus loqui, sed de corpore suo et sanguine, quae sub speciebus singulis integra et continentur et percipiuntur, significavit. Nusquam autem Dominus in illo 6. cap. de calice et vino meminit et universam illam cum Capharnaitis disputationem uno verbo absolvit dicens: Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (6, 59)“²²²⁾.

Haec tamen tota probatio, cum de eius valore tum in theologorum congregationibus tum etiam in sessionibus patrum toto fere concilii tempore acris fuerit controversia, gravibus difficultatibus non caruit. Auctor primae huius capituli redactionis, quamvis — ut ex supra dictis elucet — confessus sit locutionem Christi — secundum SS. PP. interpretationem — ad sacramentum eucharistiae pertinere, tamen affirmat nullum praeceptum communionis sub utraque specie ex ipso Christi mandato sequi. Sicuti in congregationibus iam peractis iterum venit quaestio de sensu locutionis Christi²²³⁾. Difficultate nondum soluta nonnulli proposuerunt, ut celeberrimus Joannaeus tolleretur²²⁴⁾. Nihilomi-

Joannis continentur, ad divinum Eucharistiae sacramentum realemque corporis et sanguinis Redemptoris nostri in eodem sacramento praesentiam et ad sacramentalem sumptionem ipsius aut ad spirituales in ordine ad sacramentalem pertinere a. s.“ CTr VIII, 641.

²²¹⁾ Non latuit certe auctores huius doctrinae vocabulum panis non semel apud Jo 6 a Domino adhiberi; ostendere ergo volunt hanc vocem, cum penitus omittatur vox calicis et vini, non referendam esse ad differentiam specierum, de qua diserte loquuntur ceteri tres evangelistae et S. Paulus. Ita observant in suis votis archiep. Granatensis et Julius Pavesius archiep. Surrentinus CTr VIII, 660, 662.

²²²⁾ CTr VIII, 653 s.

²²³⁾ Variarum sententiarum de interpretationis modo exponuntur, quae tamen non sunt, nisi repetitiones opinionum ex disquisitione peracta notarum.

²²⁴⁾ Caspar de Cassale O. S. A. ep. Leriensis, Jacobus Maria Sala ep. Vivariensis, Belisarius Balduinus ep. Larinensis, Marcus Laureus

nus tamen in secunda redactione commemoratus textus perman-
sit, quin repetatur interpretatio primae redactionis, praeter verba:
„Sed neque ex sermone illo Domini apud Joannem 6. recte col-
ligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam
esse“²²⁵). Ut autem huiusmodi propositio solido fundetur argu-
mento, apta Salvatoris verba ex eodem Joanne capite electa et
exposita sunt²²⁶).

Haec propositio eiusdemque scripturistica demonstratio in
definitione auctoritativa insertae sunt.

Atvero huiusmodi quaestionis explicatio nondum est solutio
difficultatis. Quamvis enim mentio de SS. PP. interpretatione
iam in secunda capitis redactione amissa sit, tamen quaestionis
negativa dumtaxat solutio per verbum *neque colligitur* nondum
est totius difficultatis positiva remotio, praesertim cum in ultima
redactione eiusdem capitis verba redactionis secundae *nullo ex
sacris Litteris praecepto* archiep. Petro Guerrero postulante in
alia scil. *nullo praecepto divino* mutata sint²²⁷). Cum tamen *prae-
ceptum divinum* traditionem quoque complectatur, cuius doctrina
vario modo interpretari videtur, aliqua hac in materia authentica
declaratio necessaria fuit. Quae cum ita sint, ne quaelibet oppo-
sitarum quaestionum damnetur, Albertus Duimius de Gli-
riscis O. P. ep. Veglensis proposuit, ut post verbum *praecep-
tum esse* addatur *de quacumque manducatione verba illa intelli-*

O. P. ep. Campaniensis, Andreas Cuesta ep. Legionensis, Antonius Au-
gustinus ep. Ilerdensis, Didacus Cuvarruvas ep. Civitatis, Hiero-
nymus Trivisanus O. P. ep. Veronensis. Aliqui patres commemoratum
textum permanere voluerunt, quin fiat quaelibet hac de re interpretatio:
Archiep. Petrus Gerrero, ep. Martinus Perez de Ayala et Antonius
a S. Michaële O. M. Obs. ep. Montismarani.

²²⁵) CTr VIII, 686.

²²⁶) Patres argumentationem ex verbis Christi in cap. VI S. Joannis
contentis in forma oppositionis composuerunt. „Namque qui dixit (54) —
ait decretum — *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sangui-
nem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque (52) *Si quis manducaverit
ex hoc pane, vivet in aeternum* Et qui dixit (55) *Qui manducat meam
carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, dixit etiam (52)
Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit
(57) *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et
ego in illo*, dixit nihilominus (59) *Qui manducat hunc panem, vivet in aeter-
num*“. CTr VIII, 686, 699.

²²⁷) CTr VIII, 688.

*gantur*²²⁸). Quae additio, licet obiectum acris controversiae fuerit, tamen in disputationis calore convenienter aptata, ope 83 votorum contra 57 vota admissa est atque decisum est, ut in forma verborum *utcumque iuxta varias sanctorum patrum et doctorum interpretationes intelligatur*, definitivo decreto adiungeretur, quod reapse gravibus difficultatibus superatis factum est²²⁹).

Praeter difficultatem ex evangelio S. Joannis in prima praefati capituli redactione petitam adducitur etiam locutio Christi apud S. Matthaeum contenta (26, 27), quae tamen textu S. Marci

²²⁸) CTr VIII, 689.

²²⁹) Hae graves difficultates expositae sunt in ultima sessione vespertina pridie sessionis sollemnis (hora 5-ta post meridiem die 15 Julii). Hac de re ita ep. Aegidius Foschararius in sua epistola die 16 Julii ad card. Moronum scripta: „Dicevano questi due (Alphonsus Salmeron S. J. et Franciscus Torres favente card. Stanislao Hosio ep. Varmiensi) essere scandaloso, che essendo la principal difficultà de gli heretici moderni sopra quella parola: *Bibite ex hoc omnes* come che'l Nostro Signore avesse comandato, che ogniuno fosse obbligato all'uso del calice: questa difficultà si trascinasse senza farne alcuna mentione. Et haverian voluto, che si fosse detto, che quel comandamento sia fatto solamente agli apostoli come sacerdoti, et per conseguente a tutti i soi successori et non a laici, perchè fu fatto a quelli, a quali fu detto: *facite* et non volendo dire altro *facite* che *sacrificate*, così a quelli solamente, che sacrificavano, fu detto *Bibite*. La seconda difficultà fu quella apendice fatta dela interpretatione del 6. di S. Giovanni, perchè era debito della santa sinodo l'aprire, che quel capitolo s'intendea della communione sacramentale; et non si potea lasciar senza infamia del concilio. La terza difficultà, che lor pareva, anzi di che eran certi, era che quei testimoni addotti a provare l'autorità della chiesa, cioè *Sic nos existimet homo et Cetera cum venero disponam*, erano fuori d'ogni proposito et indegni della sinodo. La quarta de communione parvulorum... che i putti non si comunicavano“ CTr VIII, 696, adn. I. — Jamvero card. Hosius, qui severam personam in doctrinae capitibus componendis sustinuit, in casu difficillimo fuit. Immo card. Carolus Visconti in relatione sua ad card. Carolum Borromaeum die 16 Julii an. 1562 missa scribit: „Il Sr. Cardinal Simonetta m'ha detto, che il Sr. cardinal Varmiese si lascio hieri voltare da due theologi a consentire, che si mutasse una dottrina et che hebbe da fare a confirmarlo dicendo, che è tanto buono, che facilmente crede“. Susta, *Die Römische Curie und das Concil von Trient*, II, p. 250. Cf. relationem legatorum ad Borromaeum de eadem die ibid. p. 248. Idem testatur scriptor Card. Hosio coaetaneus P. Sarpi († 1623), in *Storia del Concilio Tridentino*, ed. Bari 1935, II, 431 ss. Attamen congregatis nonnullis patribus et theologis mota difficultas gravi inquisitioni subiecta est et — disquisitione absoluta — tota obiectio evanuit. Cavallera, *L'interprétation*, p. 703 s.

(14, 23) adiuvante — sicuti iam in congregationibus peractis obtinuit — ad solos celebrantes relata est²³⁰). Quae tamen difficultas eiusdemque solutio card. Ludovico Madrutio suadente multisque patribus consentientibus omissa est²³¹).

Denique initio capitis primi primae redactionis cum principio eiusdem capitis redactionis secundae comparato, elucet ipsam capitis introductionem nonnullis patribus suadentibus mutatam esse²³²).

Quae cum ita sint manifesto sequitur caput primum in prima redactione propositum quoad partes integrales fere omnes auctoritative definitum esse, licet quoad formam mutatum atque in duo capita divisum sit.

Hac materia considerata caput sequens explicandum remanet.

Centralis idea huius capitis in prima redactione est „tantum suscipi sub una, quantum sub utraque specie“; fundamentum autem, unde ea derivatur, est dogma de Christi praesentia sacramentali. Auctor capitis conatur hanc centalem ideam magis magisque determinare. Primo dicit generatim de contento, atque declarat non minus suscipi sub altera, quam sub utraque specie. Deinde inquit ipsos fructus „quantum ad vim et efficaciam ipsius sacramenti attinet, gratiae spiritualis, quae ad salutem necessaria“ est et pariter affirmat sub hoc respectu nullam esse differentiam inter suscipientem sub una specie et eum, qui sub utraque specie suscipit. Denique, cum sub speciebus sacramentalibus ipse Christus contineatur, fructus communionis est intima cum Christo coniunctio, in Salvatoris quaedam transformatio, vitae spiritualis suppeditatio conservatio et augmentum, unde sacramentalis communionis necessitas provenit²³³).

²³⁰) Julius Pavesius O. P. archiep. Surrentinus CTr VIII, 661.

²³¹) Card. Madrutius primo postulavit, ut textus *Bibite ex hoc omnes* melius explicaretur, postea tamen hanc scripturasticam locutionem superflue esse factam consideravit (CTr VIII, 656, 660). Madrutium secuti sunt: archiep. Granatensis, episcopi: Aegidius Foschararius, Urbanus Virgerius de Ruvere, Jacobus Maria Sala, Andreas Cuesta, Dominicus Bullanus, Martinus Perez de Ayala.

²³²) Scipio Bongallus ep. Civitatis Castellanae et Hortanus, Antonius Augustinus ep. Illerdensis, Philippus Maria Campegius ep. Feltrensis, Jacobus Gilbertus Noguerras ep. Aliphanus.

²³³) CTr VIII, 654. Idea unionis cum Christo per communionem aliquam similitudinem habere videtur cum voto Alphonsi Marcantis die 13 Junii 1562 in theologorum congregatione dato CTr VIII, 552.

Comparatione instituta inter hoc caput et caput correspondens, quod in secunda et tertia redactione invenitur²³⁴), iam primo aspectu apparet caput tertium secundae et sequentis redactionis multo brevius capiti secundo redactionis primae esse. Estne tamen cum extensione etiam id, quod continetur mutatum?

Primus in congregatione patrum disputantium card. Ludovicus Madrutius dixit praefatum caput canonis tertio vix satisfacere, quia, dum in canone quaestio non est de contentis sed de sumptione, commemoratum caput in prima parte considerat rem iam in secunda concilii parte decisam, in altera autem capitis parte sermo est de iis, „qui asserunt non tantum sumi sub una, quam sub utraque hac ratione, quia non totum id sumitur, quod Christus instituit“²³⁵). Quamvis card. Tridentinus non plena cum certitudine de capite proposito iudicaverit — dixit enim „si recte assequor“ — multi tamen patres eum secuti sunt et vel mutationem tantum vel aliquod novum schema huius capitis proposuerunt²³⁶).

Attamen disquisitione patrum absoluta statuitur caput tertium, quod parum videtur a correspondenti capite primae redactionis distare. Quamvis enim fundamentum totius argumentationis scil. praesentia Christi sacramentalis omissum sit, tamen principalis idea permanet, quae docet totum atque integrum Christum sumi tam sub utraque quam sub una specie, proindeque accipientes communionem sub una tantum specie nulla gratia ad salutem necessaria defraudari. Insuper in hac nova redactione — ut heterodoxorum doctrina de sacramenti partitione removeatur — additum est etiam sub altera tantum specie sumi verum sacramentum. Ex alia autem parte nihil dicitur de intima coniunctione cum Christo per communionem sacramentalem.

Atvero licet commemoratum caput redactionis ultimae et definitionis auctoritativae deciderit communicantes sub una tan-

²³⁴) CTr VIII, 686, s. 699.

²³⁵) CTr VIII, 660.

²³⁶) Jacobus Gilbertus Nogueras ep. Aliphanus, Lactantius de Roverella ep. Asculanus, Bernardinus de Cupis ep. Auximanus, Lupus Martinez de la Gunilla ep. Elnensis, Gabriel de Monte ep. Esinus, Jacobus Mignanellus ep. Grossetanus, Belisarius Baldwinus ep. Larinensis, Caspar de Casale O. S. A. ep. Leriensis, Aegidius Foschararius ep. Mutinensis, Martinus Perez de Ayala ep. Segobiensis, Joan. Bapt. Osius ep. Reatinus.

tum specie nulla ad salutem necessaria gratia defraudari, totum atque integrum Christum verumque sacramentum (institutionem) sub altera tantum specie sumi, tamen quaestionem hucusque acriter disputatam scil. utrum tantum ex variis rationibus sumi sub una specie, quantum sub utraque ob catholicarum scholarum controversias indecisam reliquit, quamvis in prima capitis redactione quaestio aliquo modo iam praeiudicata sit²³⁷).

CONCLUSIO.

Doctrina concilii Tridentini de communione sub utraque specie considerata non superest nisi, ut ea, quae hucusque analytice exposita sunt, perspicuitatis gratia breviter et synthetice recapitulentur atque, ut momentum decreti inquisiti melius diiudicetur, quaedam comparanda remanent.

Etenim decretum de communione sub utraque specie comprehendit quaestiones, quibus ob varias difficultates solvendas tum ex parte heterodoxorum tum ex parte catholicorum propositas, concilium Tridentinum diutissime occupatum est. Quae circumstantia gravitatem materiae supponit.

Quamvis tamen materia huius decreti — quod etiam patres Tridentini observarunt — in concilio Constantiensi exposita sit, tamen comparatione utrarumque declarationum peracta magnam esse differentiam inter materiam concilii Constantiensis et Tridentini elucet. Jamvero Calixtini s. XV eorumque hac in materia praecipuus theologus scil. Jacobellus (Jacobus Missniensis), cuius errores in variis eius operibus sparsi obiectum fuerunt disquisitionis patrum concilii Constantiensis²³⁸), quae-

²³⁷) In redactione prima dicitur: „Declarat praeterea S. Synodus, quod ad contenta sub speciebus attinet non minus suscipi sub altera specie, quam sub utraque, cum Christus totus et integer sub qualibet specie contineatur et accipiatur. Ad haec idem fructus, quantum ad vim et efficaciam ipsius sacramenti attinet, gratiae spiritualis, quae ad salutem necessaria, percipitur ab iis, qui utramque sumunt, cum non minus — ut dictum est — sub una, quam sub duabus...“ CTr VIII, 654. In redactione secunda et sequenti legimus: „...fatendum esse etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt“ CTr VIII, 686, s. 699.

²³⁸) Mansi XXVII, 157 s. Jacobelli errores sparsi sunt praesertim in operibus: *Apologia de communione plebis* et *Demonstratio per testimonia s. Scripturae et Patrum*.

stionem motam imprimis sub respectu disciplinari considerabant. Quapropter etiam concilium in definitione sua die 15 Junii anno 1415 data, variis quaestionibus disciplinariis expositis, de materia nostra ita tantum dicit: „quod licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen postea a conficientibus sub utraque et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri“²³⁹). Hic textus duas complectitur quaestiones scil. subiectum communionis sub utraque et praesentiam sacramentalem Christi. Cum haec secunda sit fundamentum decreti de SS. Eucharistia de die 11 Oct. 1551, ad nostram materiam problema de ipsa communione pertinet. Comparatione igitur inter definitionem Constantiensem et Tridentinam peracta duo sequuntur; etenim loco distinctionis Constantiensis *inter conficientes et laicos* decretum Tridentinum introduxit aliam scil. *inter conficientes et laicos atque clericos non conficientes*, deinde ipsam quaestionem in concilio Constantiensi propositam decretum Tridentinum ampliavit atque variis munivit argumentis.

Insuper decretum Tridentinum de communione sub utraque specie differt etiam a decreto eiusdem concilii de SS. Eucharistia. Licet enim adsit similitudo inter tertium canonem et caput correspondens decreti de communione ex una parte et pari modo tertium canonem et caput ei respondens ex parte altera, tamen — ut iam disputatione super decreto durante card. Hieronymus Seripando notavit — dicta similitudo est solummodo apparens. Cum enim in decreto praecedenti sit sermo de praesentia Christi integri et totius sub unaquaque specie et sub quavis ipsius speciei parte, decretum de communione sub utraque id quod sumitur considerat.

Quid denique decretum nostrum definivit?

Cum in concilio Constantiensi praesertim materia disciplinaria diiudicata sit, decretum nostrum huiusmodi quaestionibus inquisitis, hanc materiam partim indecisam reliquit, partim autem ad Romanum Pontificem transmittit. Quod ad materiam doctrinalem attinet tres sunt veritates in nostro

²³⁹) Mansi XXVII, 727 C.

decreto formaliter et explicitè definitae: 1. Communionem sub utraque specie non esse necessariam pro omnibus et singulis fidelibus et quidem nec ex Dei praecepto nec ex necessitate salutis. Extensio expressionis „pro omnibus et singulis“ specificatur magis in respectivo capite, ubi illi correspondet verbum „laici et clerici non conficientes“. 2. Ecclesiam habere potestatem circa sacramentorum administrationem. Quapropter vi huius potestatis iustis causis et rationibus consideratis ipsam sacramentorum administrationem mutare posse. 3. Denique sub qualibet specie sacramentali integrum Christum ac verum sacramentum sumi, quamobrem nulla gratia ad salutem necessaria defraudari eos, qui unam solum speciem accipiunt.

Unde *indecisa* permansit quaestio circa sensum verborum Christi a S. Joanne relatorum, praeter authenticam declarationem communionem sub utraque specie ex dicto textu minime colligi, quod toto contextu considerato probatur. Insuper ex variis quaestionibus circa gratiam huius sacramenti, quae decursu laboris concilii acerrimae disputationis obiectum fuerunt, nulla sententia est definita, nisi doctrina communis de gratia ad salutem necessaria.

Insuper, licet in aliis decretis concilii argumenta revelationis afferantur, in decreto de communionem sub utraque specie nullum exponitur argumentum positivum tamquam textus dogmaticus. Quapropter hoc decretum optime probat ecclesiam docentem in materia fidei proponenda veritatem fide tenendam non tam argumentis corroborare, quam magis id, quod in ipsa hac veritate continetur, exponere.

Consideratis denique variis scholis atque sententiis, quae in variis ordinibus religiosis defenduntur eisque cum decreto nostro comparatis elucet concilium Tridentinum in decreto de communionem sub utraque specie proponendo minime doctrinam alicuius scholae vel ordinis secutum esse, sed totum in hoc fuit, ut differentiam inter doctrinam heterodoxorum et veritatem catholicam statueret.